





17  
I. N. D. N. J. C. M a  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE EO,

QUOD CIRCA MATERIAM  
**EXHEREDATIONIS**  
**ET PRÆTERITIONIS**

Nov. CXV. c. 3. MUTATUM EST.

QUAM

EX AUCTORITATE ET DECRETO  
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS,

IN ACADEMIA GIESSENSI

**PRO DIGNITATE DOCTORALI**

CONSEQUENDA,

PUBLICÆ

EXCELLENTISS. DNN. PROCERUM  
DISQUISITIONI

AD D. NOV. A. MDCCXXV.

SUBMITTIT

JOHANNES NICOLAUS  
SCHEDELL,

MOENO · FRANCOFURTENSIS.

GISSAE, Typis Vid. Joh. Reinh. Vulpii, Acad. Typogr.





EPISTOLA

IMMANUELIS WEBERI,

CONSIL. HASSO-DARMSTADINI, PROF. JUR. PRIM. ACAD. LUDOV.  
PRO-CANCELLARII ATQUE SYNDICI.

AD

*PRÆCLARISSIMUM ATQUE NOBILISSIMUM*

DN. JOH. NICOLAUM SCHEDEL,

Juris utriusque **CANDIDATUM** longe dignissimum,  
Favorem atque Amicum suum maxime dilectum.

**Q**ui Patriæ & Patronis studiorum rationem inaugurali & publico specimine reddere satagunt, vel integrum juris Romani titulum explicare suscipiunt, vel ad legem quandam ex Pandectis & Codice industriam accommodant; vel ad certam materiam, quæ passim apud Doctores leguntur, facientia colligunt: quæ res plus laboris, quam ingenii TRAJ. BOCCALINI *Relat. ex Parnass. Cens. 1. Relat. 23.* habere videtur. Tibi, Mi lectissime SCHEDEL, nihil fere horum placuit; sed, dum elegisti  
thema

thema Dissertationis inauguralis, alia via ineunda fuit, qua incedere & Tibi honorificum, & Reipublicæ salutare videbatur. Quorsum enim tendit studium nostrum juridicum, quam ut jus ad facta in civili societate occurrentia rite applicare studeamus; & sic eo melius partibus in Republica aliquando nobis credendis fungi valeamus. Talem igitur laborem fecisti Tuum, in evolvendo intricato ex Novellis Justiniani deprompto argumento, dum antiqua cum recentioribus comparas, atque tandem, quæ genuina illius mens sit, distincte per regulas exponis. Quod si porro in aliis ita fueris felix, à justitiæ & veritatis tramite vix aberrabis. Illud videtur superesse, ut *Amplissimo Magistratui* aliisque *Patronis* studia atque mores tui commendentur, quod lubens etiam facerem, ac sine conscientiæ morfu quam facillime possem, quia, per ultimum maximè quadriennii spatium, collegiis juridicis non apud me solum, sed & apud Dominos meos Collegas indefesso studio incubuisti, atque *integer vitæ, scelerisque purus* talem Te gessisti, ut vel à Magnifico Domino Rectore, vel à Senatu Academico unquam Te in jus vocatum nullus omnino recordari queam. Quare, quemadmodum, ut, in proverbio dicitur, *vino vendibili suspensa hedera opus non est*: ita virtutes Tuæ semetipsas fatis superque commendant. Id unum adhuc restat, ut de obtinendis propediem in jure novis Honoribus Tibi ex animo gratuler. Divinum Numen Tibi porro præsto sit, & omnes honestos Tuos conatus ita dirigat, ut, quem Tibi proposuisti scopum feliciter ac ex voto, consequaris.

Vale & amare me perge.

D. 11. Dec. 1725.

PREFA



*PRÆFATIO.*

**Q**Uamquam fere multa de dignitate  
 vel utilitate alicujus materiæ, de  
 qua disputatio conscribitur, præmitti so-  
 lent: ego tamen in præfenti id non opus ef-  
 se existimo, cum materia, de qua inaugu-  
 ralis hæcce agit dissertatio, sua luce ra-  
 diet, quæ hunc usque in diem acutissi-  
 morum juris interpretum ingenia exer-  
 cuit: nec manifesta utilitate careat, cum  
 quid inter querelam inofficiosi & nullita-  
 tis

tis intercedat differentia vel tyronibus  
constet, tantumque absit, ut conclama-  
tum sit, dissentientium sententia superior-  
res partes in foro deberi, ut potius etiam  
praedicia in contrarium extent, & praxis  
adhuc dubia esse videatur. Quare omni  
encomio abstineo, & id tantum adhuc a-  
go, ut Fautoribus ac Patronis meis, qui mi-  
hi circa hoc thema occupato pro ingenti  
ipsorum humanitate pariter atque benigni-  
tate libros suppeditarunt, publice etiam  
gratias agem, quas decet, maximas, &  
pro hoc summo humanitatis officio fau-  
sta quaelibet atque felicia ipsis ex  
animo appreter.

SECTIO





## SECTIO PRIMA.

### §. I.

**I**Nter alias difficultates, quibus jurisprudentiæ premitur, non minima est legum mutatio, qua latis novis legibus veteres vel exto-  
to, vel ex parte, vel aliis vel nullis capitibus substitutis tolluntur, ut inde non pauciores quam quatuor species mutationum enatæ sint, quæ propriis vocabulis abrogationis, derogationis, subrogationis, obrogationis designantur. Nam cum quæstio facti sit, quid, quantumque legislator veteribus de legibus tollere, quantumque relinquere in suo vigore voluerit, usu verò sæpe numero eveniat, ut suam voluntantem legumlatores non satis declarent, inde dubitationes, ex iis lites & concertationes oriri solent, quid, quantumque ex veteribus legibus per novas mutatum sit. Quam rem uti omni die experiuntur, qui aut in perferenda tradendaque, jurisprudentia, aut in causis agendis, aut in utroque genere versantur: Sic nemo inficias ire potest, illa, quam dixi, difficultate vel maxime Romanam quoque jurisprudentiam esse circumvolutam. Cujus rei argumentum perspicuum ac indubitatum præbet thema præsens, de quo hanc dissertationem conscribendam mihi sumsi, Nempe inter alias novellas Imperatoris Justiniani constitutiones, quibus jus vetus emendandum suscepit, eminent Novella CXV. capite in primis III. & IV. quibus non levem juris veteris mutationem contineri, facile quis, qui ea vel per transennam adspexerit, nec veteris juris penitus ignarus fuerit, confitetur. At enim vero ubi accuratiori animi lance omnia ac singula verba Novellæ in capitibus adductis pensantur, ingens dubium exoritur, quantum de jure veteri mutare animus Imperatori fuerit, quibusque adeo limitibus jus novum sit circumscribendum.

*Thema Diss.  
ex Nov. 115.  
c. 3.*

Generalia  
de sensu d.  
Nov. 1.) ex  
sententia  
Hoppii &  
aliorum.

§. II. Sane ex nostri avi JCtis præstantioribus, quorumque scripta omnium manibus teruntur, JOACHIM. HOPPIUS in *Commentar. ad Inst. tit. de exheredat. liber. per totum & Tit. de in officios. Testam. pr. dictam Novellam* novumq; jus tam late interpretatus est, ut omnem differentiam jure veteri tam late ac studiose constitutam, inter suos vel emancipatos, præteritos vel exheredatos, inter patrem vel matrem prætereuntem vel exheredantem, sublatam existimet, novaque exheredationis vel præteritionis forma præscripta rem eo redactam esse, ut quoties in testamento liberi cujuscunque qualitatis, vel parentes sint præteriti, vel non ex causa aliqua Nov. 115. c. 3. & 4. approbata, & in ipso testamento expressa, exheredati fuerint, vel legitimam portionem non titulo honorabili acceperint, toties testamentum sit ipso jure nullum, quod ad heredis tamen institutionem, non quod ad reliqua capita testamenti; quoties vero causa ab herede scripto probari non possit, vel Fratres aut Sorores prælata turpi persona præteriti vel sine justa causa exheredati sint, toties Testamentum non sit ipso jure nullum, sed querela inofficiosi rescindendum. Quæ sententia quamvis HOPPIUM primum auctorem non habent, sed jam ut aliis inprimis CARPZOVIO, STRUVIO, SCHILTERO asserta fuerit, tamen tanto periculosior videri poterat, quod mox tyronibus jurisprudentia, qui amare commentationes Hoppianas, nec sine causa solent, innotesceret, eorumque animis, antequam dissentientium rationes perciperent, infinuaretur, suaque facilitate ita placeret omnibus, ut ubi in contraria argumenta VINNII, aliorumque inciderint, ea aut intelligentes non intelligant, aut nequidem cognoscere ac intelligere cupiant.

2.) Ex sen-  
tentia Vin-  
nii & alio-  
rum.

§. III. Enimverò VINNIUS in *Questionibus selectis*, inter alia, quæ magno judicio, nec minori industria tractavit. *Questione XX. & XXI. libr. II. a)* longe alia, quam quæ communi sententia recepta esse viderentur, demonstrare annisus est, longèque angustioribus limitibus jus novum, quod adducta Nov. 115. c. 3. & 4. introdu-

A 2

haro

a) *Add. Comment. major ad Inst. de inoff. testam. pr. n. 1-5.*

ductum, coarctavit. Negat enim ac pernegat, novam formam exheredationis praescriptam, differentiamque inter suos & emancipatos, praeteritos vel exheredatos patremque inter ac matrem exheredantem vel praetereuntem sublatam, ac omne testamentum, in quo liberi vel parentes non sint ex justa causa, eaque in testamento expressa, & d. Nov. approbata, exheredati, vel praeteriti, ipso jure nullum esse. Contra ea asserit, Novellam plane ad liberos suos praeteritos, atque adeo ad testamentum, quod ipso jure nullum sit, non pertinere, vocabulaque exheredationis & praeteritionis separatim de diversis subjectis, patris vel matris, aut ascendentium maternorum, accipienda esse, & in universum Novellam nullum alium effectum, quam rescissionis testamentorum per querelam inofficiosi, tribuere. Quarum rerum hunc effectum esse ait, ut testamentum, in quo suus heres a patre praeteritus, etiam post illam Novellam sit ipso jure nullum, ut matris praeteritio etiam post illam Novellam sit loco exheredationis, ut si a patre exheredatio, vel a matre praeteritio non ex justa causa, id est, ex causa in dicta Novella approbata, & in testamento expressa, facta sit, perinde ac si causae veritas a scriptis heredibus non probetur, testamentum querela inofficiosi rescindi possit, quod ad institutionem heredis, non quod ad reliqua ejus capita. Neque vero solus VINNIUS est, qui ista dixit, vel defendit, sed non ille solum ipse in quaestionibus allegatis plures consentientes, FULGOSIUM, GOVEANUM, CUJACIUM, DUARENUM, FABRUM, GILKENIUM, FACHINEUM, GUDELINUM, PEREZIUM, b) adduxit, verum etiam ignotum non est, interpretes juris ab omni tempore ad illam Novellam, de qua agimus, haesitasse, & quasi ad scopulos delatos alios aliam evadendi viam elegisse.

A 3

§. IV.

b) Ex nostratibus sicutis cum Vinnio Consentit Menckenius in Tab. ad Pand. T. de in off. test. p. 107. Tit. de lib. & posth. hered. inst. p. 395. seq. T. de injusto rupt. p. 396. seq. Tit. de bonorum poss. contra tab. p. 452. seq.

*Transitio ad  
synthasium.*

§. IV. Quibus obiter ac veluti ex longinquo perspectis cum satis appareat, nec facile argumentum esse, quod maximorum interpretum ingenia exercuerit, nec temere sub incudem rationis revocari, cum non modo adhuc sub iudice lis sit, verum etiam quædam fortassis ab una vel altera parte afferri queant, quibus veritas erui magis ac confirmari possit, animo confitui meo illud, quod excitata Nov. CXV. c. 3. mutatum plenius ac genuinis ex fundamentis investigare simulque, id ex instituto dare operam, ut tota ac diffusa controversia, quæ multis ne quidem satis cognita, nedum recte decisa videtur, facili ac perspicua ratione tractetur, atque adeo pro virili tentare, an una, quod ajunt, fidelia duo possint parietes dealbari, ut difficilis controversia & tota penitusque cognoscatur, & recte solideque decidatur.

*Ordo tractandi in genere.*

§. V. Quem scopum ut feliciter assequamur, hoc ordine procedemus, ut 1. textum illum Novellæ, seu fundamentum dissertationis afferamus, eumque in suas partes dividamus: 2. De ordine disceptandi dispiciamus; 3. Discepcionem ipsam instituamus.

*Textus c. 3. Nov. 115. in tres partes divisus.*

§. VI. Quod primo loco ad Caput III. Novellæ CXV. attinet, illud commode in tres partes dividi potest, quarum prima ipsam dispositionem circa liberorum præteritionem vel exheredationem continet, verbis, quæ secundum versionem vulgatam ita se habent.

*Part. 1.*

*Aliud quoque capitulum presenti legi addendum esse perspeximus. Sancimus igitur, non licere penitus patri vel matri, avo vel avia, proavo vel proavia, sum filium vel filiam, vel ceteros liberos præterire, aut exheredes in suo facere Testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum vel fideicommissum, vel alium quemcumque modum eis dederit legibus debitam portionem: nisi forsitan probabuntur ingrati, & ipsius nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamenta.*

*Part. 2.*

*Hanc excipit altera pars, quæ circa causas ingratitudinis, seu ob quas exhereditatio vel præteritio iuste fit, disponit, his verbis: Sed quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant iudicari, in diversis legibus dispersas & non aperte declaratas invenimus; quarum aliqua nec digne nobis ad ingratitudinem visa sunt: aliqua vero, cum essent digna, prætermiissa sunt: ideo necessarium esse perspeximus, eas nominatim presenti lege comprehendere; ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur. Causas autem iustas ingratitudinis has esse decernimus. Si quis &c. &c. Denique Ter-*

*Part. 3.*

*ria*

ria pars effectum utriusque partis prioris & dispositionis continet, verbis ultimis: Sive igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet parentes in testamento suo inseruerint, & scripti heredes nominatas vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus. Si autem hac observata non fuerint, nullum exheredatis liberis praedictum generari: sed quantum ad institutionem heredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hereditatem liberos tanquam ab intestato ex aequa parte pervenire, ne liberi falsis accusationibus condemnentur, vel aliquam circumscriptionem in parentum substantiis patiantur. Si vero contigerit in quibusdam salibus testamentis quadam legata vel fideicommissa aut libertates, aut tutorum donationes relinqui, vel qualibet alia capitula concessa legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam, in hoc non rescissum obtineat testamentum.

§. VII. Similiter caput IV. quo de parentum praeteritione aut ex heredatione ne agitur, in tres partes commodè dividi potest, quarum prima circa ipsam quoque parentum praeteritionem vel exheredationem disponit, his verbis: Iustum tres partes autem perspeximus & è contrario de liberorum testamentis hac eadem cum aliqua distinctione disponere. Sansimus itaque, non licere liberis parentes suos praeterire, aut quolibet modo à rebus propriis, in quibus habent testandi licentiam, eos omnino alienare: nisi causas, quas enumeravimus, in suis testamentis specialiter nominaverint. Altera pars similiter causarum, ob quas parentes à liberis praeteriri vel exheredari possunt, enarrationem continet, verbis: Has autem esse decernimus. Si parentes ad interitum vita liberos suos tradiderunt &c. &c. Tertia pars effectum complectitur, ut in capite praecedenti, verbis ultimis: Si tales igitur causas, vel certas, aut una ex his liberi suis testamentis inscripserint, & scripti ab eisdem heredes aut omnes, aut certas, aut unam ex his probaverint: testamentum in sua firmitate manere praecipimus. Si autem hac omnia non fuerint observata, nullam vim huiusmodi testamentum, quantum ad institutionem heredum habere sancimus: sed rescisso testamento eis, qui ab intestato ad hereditatem defuncti vocantur, res eius dari disponimus: legatis videlicet vel fideicommissis & libertatibus, & tutorum donationibus, seu aliis capitulis, sicut superius dictum est, suam obtinentibus firmitatem. Si quid autem pro legatis sive fideicommissis & libertatibus & tutorum donationibus, aut quibuslibet aliis capitulis, in aliis legibus inventum fuerit huic constitutioni contrarium, hoc nullo modo volumus obtinere. Et haec quidem exheredationis aut praeteritionis pena, quantum ad ingratitudinis causas contra praedictas personas statuenda sunt: si quae autem ex his inter crimina reputantur, eorum auctores etiam alias penas sentiant legibus definitas.

Textus c. 4.

similiter in  
tres partes  
dividitur.

Pars 1.

Pars 2.

Pars 3.

§. VIII.

De ordine  
discipulan-  
di, sic ut i.)  
capita non  
controverfa  
secernan-  
tur.

§. VIII. Jam ut retro vestigia legamus, ultima verba capituli IV. quæ de aliis pœnis quam exheredationis vel præteritionis agunt, quamquam tam late patent, ut non solum ad exheredationem vel præteritionem parentum, verum etiam ad liberorum pertineant, atque adeo vim suam retro ad caput quoque III, extendant, nec negari possit, ea ad effectum eorum, quæ de parentum pariter ac liberorum exheredatione vel præteritione constituta sunt, suo modo pertinere: Tamen in præsentem parum de illis erimus solliciti. Nam cum illis nihil novi insit, sed quadam tantum dubii cujusdam remotio, quod legenti novellam in propositis capitibus suboriri poterat, an sc. qui objustam causam exheredatus vel præteritus esset, etiam præter exheredationem vel præteritionem, quæ jam pœnæ loco haberi poterit, pœna deberet affici, quæ legibus in illud delictum, quod exheredationem vel præteritionem meruisset, constituta esset? Tantum abest, ut cum dubii istius remotio clara atque perspicua sit, aliquis de collisione juris veteris cum novo conquerendi, de limitibusque novi juris, maxime cum jure veteri nunquam aliud obtinuerit, disputandi causam nanciscatur, ut potius illa res per se pateat, atque clara sit, atque inde etiam non magnas lites inter Doctores excitaverit, quarum in præsens ratio haberi debeat. Idem dicendum de verbis circa finem d. cap. III. quibus Imperator declarat, si quid pro legatis vel fideicommissis, libertatibus tutorum dationibus, aut quibuslibet aliis capitulis testamentorum, in aliis legibus inventum fuerit *novellæ* 115. c. 3. & 4. contrarium, id se velle nullo modo obtinere. Nam cum natura juris novi sit, ut vetus, si ei contrarium sit, tollat, non opus erat hæc addere, quæ jam ex illis, quæ præcedentibus Imperator disposuerat, sua natura sequebantur.

§.) Ratio  
procedendi  
in capitibus  
controver-  
fis investi-  
getur.

§. IX. Restat ergo, ut ad reliqua oculos animumque intendamus. Et cum quartum quidem caput controversæ *Novellæ* ad similitudinem capituli tertii scriptum sit, & quod prius de liberis constitutum, id postea ad parentes suo modo applicatum, per se patet, primum de capite tertio & liberis, deinde de capite quarto & pa-

renti-

rentibus agendum esse. Sed quid primum de liberis agemus? Illud, quod ante dixi. Videndum, quid circa exheredationem vel præteritionem eorum mutatum sit. Quæ res omnem statum controversiæ continet, sed in folle quod ajunt, & verbis obscurioribus, quæ explananda & declaranda sunt. Declarari autem non melius possunt, quam si una quæstio in plures diducatur. Neque sufficere videntur tot quæstiones, quot partes capituli 3. fecimus. Nam pars prima plures controversias continet, quarum singulæ singulas quæstiones postulant. Loquitur enim de exheredatione, loquitur de præteritione, loquitur de patre, loquitur de matre, aliisque ascendentibus matris, & in univèrsum, si illa pars prima, uti suprâ relata est, penitus inspicitur, continet 1.) *regulam*, verbis: *Sancimus igitur, non licere penitus patri vel matri, avo vel avia, proavo vel proavia, suum filium vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exheredes in suo facere testamento*: 2.) *Ampliationem*, verbis sequentibus: *nec si per quamlibet donationem vel legatum vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem*: 3.) *limitationem*, verbis ultimis: *nisi forsan probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento*. An ergo circa primam partem tres quæstiones faciemus, ut quaeramus quid in regula, quid in *ampliatione*, quid in *limitatione* mutatum sit? Enim verò ante omnia jus *vetus* investigabimus, cum non solum sine ejus cognitione ad juris novi intelligentiam perveniri non possit, sed etiam illo cognito fieri possit, ut quo ordine in enodando interpretandoque jure novo procedendum nobis sit, clarius intelligamus. Jus autem hoc *vetus* cum duplicis generis sit, alterum *in specie* dictum, quod ante Justinianum obtinuit, alterum *recentius*, quod à Justiniano introductum, & respectu illius juris, quod ante Justinianum obtinuit, *novum*, respectu ejus, quod ab eodem Justiniano novissime per Nov. 115. introductum, *vetus* appellari potest & solet. Inde primum de jure *veteri* specialiter dicto, deinde de jure *medio* dispiciemus.

Jus vetus  
duplex: ve-  
tus & me-  
dium.

De iure ve-  
teri specia-  
liter dicto.

Reg. 1.

Reg. 2.

**§. X.** Jus *vetus* specialiter dictum rursus vel civile est in specie dictum vel *Prætorium*. Utrumque circa *exheredationem* vel *præteritionem* liberorum plures inter liberos distinctiones, atque adeo regulam exheredationis vel præteritionis *c)* plus quam unam continet. Primum distinguit inter liberos *suos & emancipatos*, utrosque vel *masculos*, vel *fœminas*, vel *primi* vel *ulterioris gradus*. De liberis *suis*, iisque *masculis & primi gradus*, regula est, *leos à patre exheredari nominatim, d)* posse, *præteriri non posse, J. tam Civili, quam Prætorio, pr. §. 2. & 3. de ex hered. lib.* Effectus regula est, ut si filius suus nominatim exheredatus, testamentum valeat, atque subsistat, fin est præteritus, aut inter ceteros exheredatus *e)* testamentum sit ipso iure nullum, utrumque *J. tam Civili, quam Prætorio f) d. pr. §. de exhered. liber. l. 1. l. 17. l. 30. ff. de injust. rupt. irrit. l. 7. l. 30. de lib. & posth. De fœminis suis & primi gradus, g)* vel aliis liberis suis *ulteriorio*

- c)* Differt exheredatio à præteritione non tam commemoratione personæ alicujus, quam expressa ab hereditate exclusionem, seu verbo *exheredare*, seu simili facta. Nam & cum filius tanquam ingratus memoratur, & alius mox heres instituitur, v. c. *Quoniam filius meus Caius ingratus erga me fuit, Sempronium heredem instituo*, præteritio non exheredatio est; & cum persona inter ceteros exheredatur, v. c. *filius meus Caius heres esto, reliqui exheredes sunt*, exheredatio non præteritio est.
- d)* Nominatim exheredatio fit, quando persona exheredanda nominatur, seu nomine proprio v. c. *Filius meus Caius exheres esto*: seu appellativo, eoque vel undò v. c. *Filius meus exheres esto*, si testator non plus quam unum filium habet: vel cum addicamento discretivo, v. c. *filius meus natus major exheres esto*, pr. *J. de exher. lib. l. 2. D. de lib. & posth.*
- e)* Nominatim factæ exheredationi opponitur exheredatio, quæ in folle seu inter ceteros fit, formula, quam modo dixi: *Titius Filius meus heres esto, reliqui exheredes sunt*: qua omnes reliqui, qui eo gradu inter liberos sunt, ut vel heredes scribendi, vel exheredandi sint, comprehenduntur.
- f)* Id est Prætor exheredato contra jus civile non succurrit, cujus benignum officium alias circa exheredatos vel præteritos liberos quoque maximo pe-re conspicuum est.
- g)* Id est filialibus suis,



ulterioris gradus cujuscunque sexus *h)*) regula est, eos Jure Civili præteriri posse, jure Prætorio non posse, *i)*) sed ad minimum inter cæteros exheredandos esse, *d. pr. & §. 3. J. de exhered. lib. l. 1. pr. §. 1. de bon. poss. contra tab. l. 1. pr. C. de lib. præ. vel exh. §. 12. §. de hered. que ab intest. Effectus regula est, ut *l. Civili testamentum subsistat valeatque, sed præteriti jus accrescendi habeant, quo scriptis heredibus pro certa portione k)* accrescunt, numerumque heredum augent, *J. Prætorio si prædicti liberi sui inter cæteros exheredati non fuerint, Prætor ipsis contra tabulas testamenti bonorum possessionem largiatur. l) dd. II. v. Vinn. ad d. pr. §. de exh. lib. n. 2. 3. 4. De emancipatis liberis m)* regula est, eos præteriri jure Civili posse, jure*

Reg. 3:

B 2

Præto-

*h)*) Id est nepotibus neptibusve, vel pronepotibus, proneptibusve, & sic deinceps, ex filio, non ex filia, ex qua sui nepotes nepesve, &c. nasci non possunt, cum liberi ex ea nati ad familiam mariti pertineant.

*i)*) Observa, *J. Civili* omnes liberos, cujuscunque sexus, vel gradus, præteriri posse, præter filium suum: *J. Prætorio* neminem, qui est in numero liberorum, cujuscunque sexus vel gradus præteriri posse, modo si posthumus, tempore mortis testatoris in utero sit. Nam cum illi, qui non fuit in utero, querela inofficiosi tribuatur *in l. 6. de inoff. test.* ea vero non competat, si aliud remedium juris, & in primis bonorum possessio contra tabulas, suppetat, inde colligitur, talem posthumum, qui in utero non fuit, præteriri *J. etiam Prætorio* posse.

*k)*) Puta suis heredibus in partem virilem, extraneis in partem dimidiam. *ULPIAN. l. 22. §. 17. CAJUS l. 2. t. 3. §. 2. Add. VINNIUS ad pr. J. de exh. lib. n. 3.*

*l)*) Dissi. *Bacchovius ad pr. J. de exh. lib. in f.* Sed contra claros textus:

*m)*) *Emancipati* opponuntur *suis*, licet tertii generis liberi dentur, qui sunt in potestate, sed non sui, quia non proximo gradu in potestate sunt, sed alios proximiori gradu præ se habent, *v. c. nepotes*; quorum pater simul in potestate avi est. Sed horum nulla in præsens ratio habetur, quia successio ad proximum gradum devolvitur, nec liberis legitima debetur, nisi, qui proximo gradu, seu natura, seu jure repræsentationis constituti sunt. Unde hic in univèrsum supponendum, si de liberis secundi vel ulterioris, aut cujuscunque gradus dicatur, eos præteriri non posse, exheredari nomi-

Prætorio non posse, sed filios nominatim, filias cæterasque per virilem sexum descendentes personas utriusque sexus, ad minimum inter cæteros exheredandos esse. §. 3. & pr. l. de exh. lib. l. 6. §. 1. de bon. poss. Effectus regulæ est, ut si filias nominatim, filias cæterasque per virilem sexum descendentes personæ utriusque sexus, vel nominatim vel inter cæteros exheredatæ non fuerint, Prætor ipsis bonorum possessionem contra tabulas concedat, dd. LL. & l. 4. ff. de bon. poss. contra tab. Hoc amplius distinguitur inter liberos natos & posthumos, seu inter liberos ante testamentum factum, & post illud existentes, qui posteriores posthumis appellantur, & sunt vel naturaliter tales, qui post testamentum, & maxime post mortem patris nascuntur, vel civiliter, qui vel per adoptionem liberi fiunt, vel natura liberi sunt, sed post testamentum sui heredes quasi agnascuntur, succedendo in locum eorum, qui tempore testamenti conditi sui heredes fuerunt, §. 2. 4. J. exher. lib. §. 2. J. de hered. quæ ab intest. l. 13. D. de injust. rupt. irrit. Ad liberos natos seu ante testamentum existentes prædicta regulæ pertinent. De posthumis tam naturaliter, quam civiliter talibus, speciatimque de posthumis suis, primi gradus & masculis, regula est, eos exheredari nominatim posse, inter cæteros exheredari vel præteriri non posse, §. tam Civili quam Prætorio §. 1. 2. J. de exhered. liber. l. 29. §. 12. 13. ff. de lib. & posth. l. 13. de injust. rupt. irrit. Effectus regulæ est, ut si posthumus suus masculus & primi gradus, hoc est filius suus posthumus, præteritus, vel nominatim exheredatus fuerit, agnascendo vel quasi rumpat testamentum totumque infirmet, dd. LL. n) De posthumis suis primi gradus feminis regula

Reg. 4.

Reg. 5.

nominatim vel inter cæteros posse, semper proximum gradum subintelligi, i. e. ut liberi, de quibus sermo, nullum aliam præ se habeant, qui testatorem proximiori gradu contingat, nec hereditatem vel bonorum possessionem ad se delatam respuat licet ipsi non primo, sed secundo, vel tertio aut ulteriori gradu constituti sint.

n) Observa differentiam inter natum Filium & posthumum præteritum vel non rite exheredatum, ille testamentum reddit ipso jure nullum, seu ab initio

gula est: *cas præteriri non posse, exheredari inter cæteros posse, modo  
 ipsis aliquid legetur, ne per oblivionem o) præteritæ esse videantur,  
 idque non deum Prætorio, sed ipso Civili jure §. 1. J. de exh. lib.*  
 ULPIAN. *fragm. t. 22. §. 21.* Effectus regulæ est, ut si fœmina post-  
 huma sua & primi gradus, hoc est filia sua posthuma præterita, vel  
 non inter cæteros relicto legato exheredata fuerit, agnoscendi vel  
 quasi ut masculus posthumus suus, rumpat testamentum, illudque  
 penitus infirmet. p) *d. §. 1. & 2. J. de exh. lib. De posthumis suis ut-*  
*terioris gradus* regula est: *eos præteriri non posse, sed masculos nomi-*  
*natum, fœminas inter cæteros q) adjecto legato exheredari posse, id-*  
*que non deum Prætorio, sed ipso Civili jure d. §. 1. J. de exh. lib.*  
 ULPIAN. *t. 22. §. 21. 22.* Effectus regulæ est, ut si posthumi sui ul-  
 terioris gradus, id est nepotes, pronepotes, & sic deinceps per vi-  
 rilem sexum descendentes posthumi præteriti, vel masculi non no-  
 minatum, fœminæ ad minimum inter cæteros cum legato, exheredati

Reg. 6.

B 3

vel

initio valere impedit; hic rumpit testamentum, quod ab initio valet. Ra-  
 tio differentiæ est, quia incertum est, an posthumus nasciturus sit.

- o) Quæ oblivio in liberis natis cessat, quoniam hi observantur oculis, vel etiam  
 absentes non ita facile memoria excidunt, at filia, quæ in utero matris est,  
 sæpe etiam, quod sit, ignoratur, quæ est secundo inter natos liberos & post-  
 humos differentia.
- p) Non jus accrescendi tantum habeat, vel B. P. contra tab. consequatur, ut  
 filia nata præterita, quæ est tertia differentia inter liberos natos & posthu-  
 mos. Ratio differentiæ in favore posthumorum sita est, maxime cum iidem  
 mereri exheredationem vel præteritionem non possint.
- q) Observa differentiam inter nepotes posthumos & neptes posthumas, quod  
 illi nominatum exheredari debent, hæc inter cæteros exheredari possunt, cum  
 tamé nati nepotes cum neptibus natis eodé jure utantur, sicut indistinctè præ-  
 teriti, præteritæve J. Civ. jus accrescendi habeant, J. Præ. B. P. c. t. consequan-  
 tur. Ratio differentiæ in eo sita esse videtur, quod sciri non possit, nepos  
 an neptis posthuma nascitura sit, qui si indistinctè inter cæteros, licet cum  
 legato, exheredarentur, incertum foret, annon pater potius de nepte exhe-  
 redanda cogitaverit, quam de nepote, familiæ propagatore. Alii ingenue  
 fatentur, se ejus rei rationem solidam ignorare. V. VINN. *ad s. 1. J. de*  
*exh. lib. n. 4.*

Reg. 7.

vel exheredata fuerint, agnascendo vel quasi testamentum rumpant, penitusque infirmant. *d. §. 1. 2. J. de exher. lib.* De posthumis extraneis regula est; eos *J. Civili prateriri posse, §. Prætorio exheredari, masculos nominatim, fœminas inter cæteros adjecto legato, posse, d. §. 1. 2. 3. J. de exh. lib.* Effectus regula est, ut si posthumi extranei, vel posthuma extranea præteriti præteritave vel non sic uti dictum, exheredati exheredatae fuerint, non rumpunt testamentum, sed bonorum possessionem c. t. à Pratore consequantur, modo tempore mortis testatoris concepti fuerint, (nec alios proximioris gradus ante se habuerint) v. c. ex filio emancipato prædefuncto, alioqui si post mortem demum testatoris concepti fuerint, r) non nisi quarelam inofficiosi habeant, *l. 3. de bon. poss. l. 6. de inoff. test.* Denique distinguitur inter liberos *naturales & adoptivos* quorum de prioribus hæctenus actum, de posterioribus peculiare regulas tradi necesse non est, cum quamdiu durat adoptio, adoptivi liberi naturalibus æquiparentur, atque adeo secundum regulas de illis traditas exheredari vel præteriri possint, vel non possint, postquam soluta adoptio, iidem nec Civili, nec Prætorio jure inter liberos communerentur.

*De exhered. §. 4. §. de exh. lib.* Sed hæc omnia, quæ hæctenus dicta, ad eam exheredationem liberorum, quæ à patre vel ascendente paterno fit, pertinent. Nam cum mater liberos suos heredes non habeat, non magis, qua liberos habet in potestate, itemque adoptare sibi liberos ad eum effectum, ut eos in potestate habeat, non possit, *§. 10. §. l. 5. C. de adop. l. 29. §. 3. ff. de inoff. test.* non solum illa omnia, quæ dicta, adeam applicari non possunt, sed etiam præterea observandum, matris præteritionem esse loco exheredationis, atque adeo illam necesse non habere liberos nominatim vel inter cæteros exheredare, sed eos præterire posse, tam Civili, quam Prætorio jure *§. f. J. de*

7) Supponendi sunt termini habiles, puta quod filius vel nepos emancipatus à patre vel avo riteneat inique exheredatus, extraneusque heres institutus, deinde post obitum patris vel avi, deliberante herede scripto, nepos vel pro-nepos ex filio vel nepote exheredato conceptus fuit.

§. de exher. lib. Idem dicendum de avo aliisque adscendentibus mat-  
 ternis, ut nepotes vel alios descendentes præterire possint, nisi eos  
 adoptione sibi legitimos quoque liberos effecerint. d. §. f. & §. 4.  
 §. de exher. lib. Vel ab  
ascendenti-  
bus mater-  
nis.

§. XI. Sed hæc omnia, quæ hæcenus de jure veteri, & effe-  
 ctu regularum, testamentorumque ac exheredationis vel præteri-  
 tionis validitate dicta sunt, illam interpretationem ac moderatio-  
 nem patiuntur, ut quamvis testamentum summo strictoque jure  
 subsistat, adeo, ut nec etiam rumpatur, nec data à Præatore contra  
 tabulas honorum possessione enervetur, illud idem tamen; si non  
 iusta exheredationis vel præteritionis causa subsit, querela inoffi-  
 ciosi rescindatur, pr. J. de inoff. test. Unde magna differentia inter  
*rite & jure* seu *nec iniure* factam exheredationem intercedit, quo-  
 rum illud ad formam & existentiam exheredationis, hoc ad subsi-  
 stentiam ejusdem pertinet. Neque infrequens in jure Civili est, ut  
 aliquod ipso jure valeat, sed ex postfacto officio judicis evertatur.  
 Cujus rei ab illis casibus, quando aliquid ab initio ipso jure nul-  
 lum est, vel postea ipso jure evertitur, differentia obscura esse  
 non potest, cum si quid ipso jure nullum est, vel postea ipso  
 jure evertitur, nullitas vel annullatio non aque à privati arbi-  
 trario dependeat s) ac eo casu, quando quid ipso jure valet, sed  
 suppeditato remedio querelæ, vel alio rescinditur, quippe quo ca-  
 su liberum illi est, cui remedium rescindendi competit, velit  
 uti illo remedio vel non, hoc effectu, ut ex illa facultate utendi re-  
 medio jus tertio non nascatur. Causæ vero exheredationis vel præ-  
 teritionis justæ quæ essent, J. veteri adeo certum expeditumque non  
 est, totumque negotium & causæ approbatio inprimis dependisse ab  
 arbitrio judicis videtur, id est à cognitione & decisione centumvi-  
 rorum, ad quos causæ testamentariæ & hereditariæ, speciatimque  
 lites

s) Hæc est una differentia, plures dantur in specie circa quærelam nullitatis  
 vel inoff. testam. rat. 1) *Præscriptionis*, 2) *Consumaciæ*, 3) *Legati*, 4) *Tran-  
 sitionis hereditariæ*. BERGER. Ref. Laut. p. 127.

lites circa exheredationes vel prateritiones liberorum vel parentum exorta pertinebant, ut vel *ex l. 13. ff. de inoff. testam. & l. 4. C. de lib. prater.* colligere est. 1) Neque magis certum est de J. veteri, utrum heres scriptus causam exheredationis vel prateritionis, seu uno verbo causam ingratitudinis probatam dare, an vero persona exheredata vel praterita se non fuisse ingratam probare debeat, cum prius *ex l. 22 l. 23. l. 30. pr. C. de inoff. testam. l. 10. de secund. nupt. posterius & l. 28. C. de inoff. Test. l. 14. §. 2. de lib. & posth.* inferri posse videatur. Enim vero, si quid certi asserendum, unumque ex duobus eligendum, placet sententia CUJACII, quam ad *Nov. 18.* proposuit, heredem scriptum causam ingratitudinis probare debere, personam exheredatam vel prateritam contra probare, se non fuisse ingratam atque adeo falsitatem vel nullitatem causae ingratitudinis demonstrare posse. Illud interim certum, de J. veteri necesse non esse, ut causa exheredationis vel prateritionis specificè exprimitur, sed sufficere, si persona exheredata vel praterita generaliter in testamento memoretur ingrata fuisse, quod quidem fieri tam necessarium est, ut si testator exheredatum vel prateritum ingratum non vocaverit, heredi ingratum vocare jus non sit, licet causas ingratitudinis probatas dare & velit, & possit. *d. l. 30. pr. C. de inoff. test.* Denique quod dixi, testamentum in quo prateritio vel exhereditatio rite, sed inique facta, querela inofficiosi rescindi posse, accipiendum (1.) nisi personae exheredatae vel prateritae legatum vel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa vel inter vivos donatum sit, licet id legitimam portionem non expleat, nec fuerit adjectum, ut illa viri boni arbitrato compleatur. *§. 3. & 6. J. de inoff. test.* (2.) nisi aliud remedium juris competat, quo ad hereditatem vel ejus partem perveniri possit: unde impubes arrogatus à querela inofficiosi remouetur, licet rite, sed inique exheredatus sit, quia quartam suam ex constitutione D. Pii habet, hoc est per conditionem.

1) Idem apparet ex VALER. MAX. l. 7. c. 7. n. 1. 2. ubi conceptis verbis exempla refert testamentorum, apud centum viros rescissorum.

ditionem ex lege consequi potest. §. 2. J. l. 8. §. 15. ff. de inoff. test. Nam qui ne rite quidem exheredati sunt, illi multo magis à querela inofficiosi excluduntur, quia aut nullitatis querelam habent, aut bonorum possessionem contra tabulas petere possunt, secundam ea, quæ §. præced. fusius dicta sunt. (3.) Nisi præscriptione quinquennali sublata fuerit, quæ competiit, inofficiosi querela, l. 36. §. 2. C. de inoff. test. (4.) Nisi persona exheredata vel præterita ultimam voluntatem testatoris expresse, taciteve agnoverit, eoque querela inofficiosi tacite renunciaverit, l. 12. ff. l. 35. §. 1. C. eod. (5.) Nisi eadem persona exheredata vel præterita ante motam vel preparatam querelam decefferit, l. 6. §. 1. l. 7. ff. de inoff. test. Ubi tamen sublimitatio atque exceptio observanda in nepote, in quem ommissa à patre querela inofficiosi transmittitur, siquidem pater deliberante herede defunctus est. l. 34. C. eod. Quotiescunque vero inofficiosi testamenti querela competit, semper hunc effectum habet, ut totum testamentum, tam quod ad institutionem heredis, quam quod ad reliqua capita, infirmet, resque ad successionem ab intestato redigatur. l. 13. l. 28. de inoff. test.

§. XII. Summa ergo J. veteris ad hæc capita redit: (1.) Si Summa juris veteris. exhereditatio rite nec inique, id est secundum formam J. vel Civili vel Prætorio præscriptam, & iusta ex causa facta est, valet testamentum tam Civili, quam Prætorio jure, nec querela inofficiosi rescinditur: 1.  
 (2.) Si exhereditatio facta rite quidem, seu secundum formam, sed inique seu non iusta ex causa, valet quidem testamentum ab initio, sed ex post facto querela inofficiosi rescinditur: 2.  
 (3.) Si exhereditatio non rite facta, sive inique sive non inique facta sit, testamentum aut ipso jure ab initio nullum est, vel certe ex postfacto ipso jure evertitur, si exhereditatio contra formam J. Civili præscriptam facta est, aut subsistit de J. Civili, sed à Prætoře data contra tabulas bonorum possessione enervatur, si exhereditatio contra formam J. Prætorio præscriptam facta est: 3.  
 (4.) Forma exheredationis consistit in eo, quod alii liberi nominatim præcise, alii ad minimum inter ceteros exheredandi sunt, & hi quidem vel simpliciter, vel relicto ipsis legato, ne- 4.  
 C per

5. per oblivionem präteriti esse videantur : (5.) *Discrimina liberorum* desumpta sunt (α) à *sexu*, quo alii sunt *masculi*, alii *foeminae*, quibus effectu æquipollent masculi, qui à foeminis descendunt : (β) à *potestate*, qua alii sunt *sui heredes*, alii *emancipati* : (γ) à *nativitate* qua
6. alii *naturales liberi*, alii *adoptivi*, alii *nati*, alii *posthumi* sunt : (6.) Si *präteritio* facta à *patre* testamentum est ipso jure nullum, si filius suus heres präteritus : contra subsistit testamentum, sed ipso jure infirmatur per raptionem, si posthumus suus präteritus, vel à Præ- tore data bonorum possessione contra tabulas enervatur, si emanci-
7. pati vel alii extranei, nati vel posthumi, präteriti : (7.) Si *präteritio* à *matre* facta, æquipollet exheredationi hoc effectu, ut quos liberos präterierit, eos *rite* exheredasse intelligatur, consequenterq; ipsius testamentum ab initio valeat sed ex postfacto querela inofficiosi rescindatur, si präteritio *inique*, id est non ex justa causa exheredationis facta sit : (8.) Uti mater liberos, sic etiam adscendentes ma-
8. terni präterire descendentes ad effectum exheredationis possunt, nisi per adoptionem präter naturales parentes etiam civiles effecti sint (9.) *Testamentum*, in quo exheredatio vel präteritio facta, est vel ab initio *nullum*, quando suus heres primi gradus präteritus, qui talis tempore facti testamenti jam existebat : vel ex postfacto *infirmatur*, idque vel *ipso jure coque Civili*, quando agnatione vel quasi posthumi sui heredis präteriti rumpitur ; vel *officio Judicis* speciatimque vel *Prætoris* quando ob neglectam formam à se præ-
9. scriptam dat contra tabulas bonorum possessionem, vel *alterius judicis*, quando testamentum ob rite sed inique factam exheredationem querela inofficiosi rescinditur. (10.) Causæ juste exheredationis vel präteritionis in incerto sunt, & potissimum ab arbitrio judicis dependent, nec debent in testamento specificè exprimi, licet in eo exheredatus vel präteritus generaliter ingratus vocatus esse de-
10. beat, (11.) Eadem causæ à scriptis heredibus probari debent ; Sicut exheredate vel präterite personæ reprobare causæ nullitatem liceat. (12.) Querela inofficiosi testamenti tunc demum competit, quando alio remedio ad hereditatem vel ejus partem perveniri non
11. potest,



potest, nec exheredata vel in institutione praterita personæ legatum vel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa vel inter vivos donatum, nec querela præscriptione, vel renunciatione, aut morte personæ exheredata vel præteritæ extincta. (13.) Effectus querelæ inofficiosa est, ut totum testamentum infirmetur.

§. XIII. Neque velim mireris, quare tantopere in jure veteri enodando, enucleandoque occupati fuerimus, cum tamen ipsi dixerimus, illud jus vetus specialiter dictum esse, quod aliud quoddam intermedium jus exceperit, quod & ipsum respectu novissimi juris per Novellam introducti vetus sit & dici possit, atque adeo parum interessè videatur, vetus jus illud cognitum fuerit, an non, cum idem illud per aliud intermedium jus mutatum sit. Nam licet mutatio negari non possit, tamen cum in eo quaestio versetur, quid, quantumque mutatum sit, cum de veteri Jure per intermedium, tum de intermedio per novissimum, facili negotio intelligitur, sine accurata juris veteris consideratione atque cognitione nec quid de veteri jure per intermedium, nec quid de intermedio per novissimum mutatum sit, accurate definiri posse. Atque inde omninò esse existimo, quod illud ipsum à tam multis parum accurate definitum fuerit, quod ipsis juris veteris tractatio atque cognitio tadiofa, nec valde necessaria videretur.

§. XIV. At enim vero nos vetera cum novis conjungentes jam operam dabimus, ut cognito jure veteri, quid de illo per intermedium mutatum sit, penitus intelligamus. Habet hoc intermedium jus auctorem Justinianum, qui cum in *Cod. l. 4. de lib. præter. vel exhered.* unam vel alteram inter liberos differentiam jure veteri introductam sustulit, tum suam J. veteris emendationem in *Instit. §. 5. de exher. lib.* repetiit. Nempe cum jure veteri inter liberos masculos & fœminas itemque *primi* vel *ulterioris* gradus, distingueretur, hoc effectu, ut soli masculi primi gradus sui que, heredes J. *Civili* exheredandi *nominatim* essent, reliqui omnes præteriri possent, J. vero *Prætorio* exheredandi quidem etiam essent, sed sic, ut sufficeret, si *inter ceteros* exheredarentur, & si quidem posthumi

Usus cogniti  
ti §. veteris.

De jure inter  
ter veteris  
& Nov. 115.  
jus medio.

a) Civiles na-  
turales fi-  
lias, cate-  
vasque de-  
scendentes  
per virilem  
sexus per-  
sonas utri-  
usq. sexus.

vel posthumæ essent, legatum acciperent, secundum ea, quæ §. XI. pluribus dicta sunt: contra ea Justinianus constituit, ut *masculorum foeminarumque* item liberorum *primi ulteriorisque gradus*, hoc est filiorum filiarumque & cæterarum per virilem sexum descendentium personarum utriusque sexus, una conditio, unumque jus esset, idq; tam in *natis*, quam in *posthumis* tamque in *suis* quam *emancipatis* obtineret, ut omnes *nominatim* exheredarentur. Quæ quidem res non sic est interpretanda, quasi differentia omnis inter filios filiasque nepotes neptesque & sic deinceps, vel etiam inter *natos* & *postumos*, itemque inter *suos* & *emancipatos* sublata sit. Sed ut ea tantum differentia cedere debeat, qua ob *sexum* vel *gradum* aut *suitatem* liberi quidam nominatim exheredari debebant, alii plane præteriri, vel J. Prætorio inter cæteros exheredari poterant, & posthumi quidem eum, reliqui sine legato. Unde nec existimandum, quasi testamentum, in quo filia, nepotesque per virilem sexum descendentes, qui ut dictum, J. Civili præteriri, J. Prætorio inter cæteros exheredari poterunt, præteriti vel non nominatim exheredati, indistincte ipso jure nullum effectum sit, sed potius, quod ad effectum non *rite* factæ exheredationis, ea juris veteris differentia permanfit, ut alia testamenta ab initio ipso jure nulla essent, alia ex post factorum perentur, aut data bonorum possessione contra tabulas enervarentur, & tantum filia cæteraque per virilem sexum descendentes personæ utriusque sexus, nati vel posthumi, sui vel emancipati, filiis natis vel posthumis, suis vel emancipatis, circa testamentum parentum suorum infirmenda, & hereditatem auferenda, ut Imperator in supra alleg. §. 5. J. de *exher. lib.* loquitur, seu potius adhuc generalius circa effectum nullitatis vel infirmationis testamentorum à parentibus factorum, exæquarentur. Item dicendum, si *rite*, sed *inique* testamentum factum, circa modum infirmandi tale testamentum, puta quarelam inofficiosi testamenti, nihil quidquam mutatum esse. Sed nec existimandum, defuisse præteritionem matris loco exheredationis esse, maxime cum in *d. §. 5. J. de exher. lib.* præter ac in *l. 4. C. de lib. præter.* Imperator de filiabus nepotibusque

*suis*

*suis vel emancipatis loquatur, quæ locutio non magis in matrem quadrat, quam ea dici potest jus potestatis in liberos per illas Justiniani leges vel ante accepisse.*

§. XV. Et hæcenus quidem de eo jure intermedio, quod circa liberos in genere, sed *directo* circa eorum exheredationem vel præteritionem, & hoc effectu, ut liberorum, de quibus agit, conditio melior redderetur, constitutum. Præter hoc verò aliud quoddam adhuc jus ab Imperatore Justiniano in specie circa liberos adoptivos introductum, quo principalis quidem respectus ad exheredationem vel præteritionem liberorum non habetur, sed quod tamen per consequens ad illam quoque pertinet, unde ejus juris in §. 5. *J. de exher. lib. in f.* mentio remissive facta est. Nempe cum Imperator illa constitutione, quæ supra allegata *L. 4. C. de lib. præter.* continetur, in genere differentiam inter filios filiasque & ceteras utriusque sexus personas per virilem sexum descendentes, circa exheredationem vel præteritionem, secundum ea, quæ dicta, sustulisset, aliud capitulum juris, quod in specie ad liberos *adoptivos* pertinebat, emendandum sibi sumpsit, constitutione, quæ in *L. 10. C. de adopt.* continetur. Nam cum olim liberi adoptivi indistincte in eorum, à quibus adoptabantur, potestatem transferebant, patrique naturali, quam diu constabat adoptio, loco extraneorum haberentur, adeo ut ne quidem à Prætoribus liberorum numero, sed tantum cognatorum censerentur post solutam verò adoptionem jus naturalium quidem liberorum, sed illud, quod à Prætoribus emancipatis tribuebatur, atque tunc demum reciperent, si vivo adhuc patre naturali ab adoptivo patre emanciparentur, ea re autem fieri posset, ut liberi in adoptionem dati utriusque patris, naturalis puta & adoptivi, hereditate exciderent, siquidem mortuo patre naturali ab adoptivo emanciparentur: Inde Justinianus rei indignatione commotus differentiam inter adoptionem ab aliquo ascendente paterno vel materno factam, & eam, quæ ab extraneo facta, introduxit, constituitque ut in prioris generis adoptione tantum jus illud obtineret, in posterioris generis adoptione liberis adoptivis jus successionis & omne aliud, quod

quod in familia patris naturalis habuissent, saluum integrumque maneret. Ex hac verò juris veteris immutatione per consequens fuit, ut cum J. veteri quivis pater adoptivus filium adoptivum ad heredem instituire in testamento, aut nominatim exheredare debuerit, ea necessitas ex nova Justiniani constitutione *præd. l. 10. C. de adopt.* comprehensa, tantum avo vel proavo, paterno vel materno, qui nepotem vel pronepotem adoptavit, non autem extraneo patri adoptivo incumbat. Qua ex re, quamvis spectata tota constitutione, & sine ejus, liberis ab extraneo adoptatis nihil detrimenti accidat, cum cessante necessitate exheredationis in parentibus adoptivis, contra naturalibus parentibus aut scribere eos heredes, aut exheredes facere necesse sit: tamen proximè habito ad parentes adoptivos respectu, liberorum adoptivorum conditio circa exheredationem vel præteritionem eatenus deterior reddita est, quatenus pater adoptivus, si extraneus est, eos expresse aut heredes aut exheredes scribere nullo obligationis vinculo adstringitur. Cæterum quamvis hæc de liberis adoptivis constitutio separatim ab illo jure, quod directo circa exheredationem vel præteritionem liberorum, secundum ea, quæ §. præc. dicta, locum obtineat, nempe in *l. 10. C. de adopt.* eaq; constitutione, qua illud jus primum introductum, ipsaq; illa, *l. 4. C. de lib. præc.* quæ eam continet, recentior, contra ea §. 5. *J. de exh. lib.* quo illius juris repetitio & confirmatio continetur antiquior sit; tamen vis illius juris circa exheredationem vel præteritionem liberorum directo constituti ad hanc de adoptivis liberis constitutionem & emendationem quoque pertinet, hoc sensu & effectu, ut secundum distinctionem subintroductam liberi arrogati vel ab ascendente aliquo adoptati, quamdiu durat arrogatio vel adoptio sine distinctione sexus vel gradus *nominatim* (à parentibus adoptivis) exheredandi sint, ab extraneo adoptati, itemque tam arrogati, quam adoptati post emancipationem, præteriri tam J. Civili, quam Prætorio possint.

§. XVI.

§. XVI. Sed ut tanto dilucidius constet, quid quantumque de veteri jure per intermedium mutatum sit, tantoque minus dubii de ea re superfit, cum ad jus novissimum pervenerimus: jam adhuc amplius per easdem regulas eundem, quas de J. veteri §. XI. tradimus. Jure ergo *intermedio* circa liberos suos, eosque masculos & *primi gradus* regula est & manet: eos exheredari à patre nominatim posse, præteriri non posse, J. tam Civili, quam Prætorio. Effectus regulæ idem est, qui J. veteri, ut si filius suus hæres nominatim exheredatus est, testamentum valeat, si vero idem præteritus, vel inter ceteros exheredatus sit, testamentum ab initio, sit ipso jure nullum, J. tam Civili, quam Prætorio. De scæminis suis & primi gradus, vel aliis liberis suis ulterioris gradus, cujuscunque sexus, regula est, eos æque ac masculos suos primi gradus, nominatim exheredandos esse, nec amplius aut præteriri aut inter ceteros exheredari posse. Effectus regulæ est, ut si filia suæ vel ceteræ per virilem sexum descendentes personæ utriusque sexus, sui heredes, nominatim exheredata fuerint, testamentum valeat, si vero præterita vel inter ceteros exheredata fuerint, testamentum ab initio sit ipso jure nullum, nec amplius personæ præteritæ de J. Civili jus accrescendi habeant, de J. Prætorio bonorum possessionem contra tabulas nanciscantur. De emancipatis liberis regula est: eos præteriri J. Civili novo, vel inter ceteros exheredari non posse, sed nominatim exheredandos esse, & filios quidem de J. Prætorio, filias ceterasque per virilem sexum descendentes personæ utriusque sexus de J. Civili novo. Effectus regulæ est, ut si emancipati liberi præteriti, vel non nominatim, sed inter ceteros exheredati fuerint, tam filii, quam filia, ceteræque per virilem sexum descendentes personæ utriusque sexus ad bonorum possessionem contra tabulas à Prætoze admittantur, & filii quidem ex edicto Prætoris, filia & reliquæ personæ ex lege civili nova, speciatimque ex constitutione Principis, ut adeo hoc elegans exemplum sit bonorum possessionis ex lege civili tributa, de cujus generis B. P. in T. D. ut ex legibus senatusveconsultis bonorum poss. detur, agitur. De posthumis iisque suis, primi gradus & masculis

*Utrumque in intermedium declaratur per regulas.*

Reg. 1.

Reg. 2.

Reg. 3.

- Reg. 4.* masculis regula est & manet : eos exheredari nominatim posse, prateriri vel inter ceteros exheredari non posse, J. tam Civili, quam Prætorio. Effectus regulæ idem est, qui de J. veteri, ut si posthumus suus heres præteritus vel inter ceteros exheredatus fuerit, agnascendo vel quasi rumpat testamentum, totumque infirmet. De posthumis suis primi gradus fœminis hoc est de filiabus posthumis suis heredibus regula est : eos præteriri non posse, nec inter ceteros exheredari posse, licet legata acceperint, sed pariter ac masculos seu filios nominatim exheredandas esse. Effectus regulæ est, ut si filia posthumæ sua heres præterita, vel inter ceteros licet cum legato exheredata fuerit, ea agnascendo vel quasi, æque ac filius posthumus suus heres præteritus vel inter ceteros exheredatus, rumpat testamentum, totumque infirmet. De posthumis suis ulterioris gradus regula est : eos præteriri non posse, nec inter ceteros, siue masculi sint, siue fœminæ, licet hæc legata acceperint, exheredari posse, sed tam masculos, quam fœminas nominatim exheredandos esse. Effectus regulæ est, ut si posthumi nepotes, vel posthumæ neptes & sic deinceps per virilem sexum descendentes sui suæve heredes præteriti præteritave, vel non nominatim, sed inter ceteros exheredati exheredatave fuerint, agnascendo vel quasi rumpant testamentum, licet neptes vel proneptes, & sic deinceps, legata acceperint. De posthumis extraneis regula est : eos J. Civili novo præteriri non posse, nec posthumos fœminæ sexus inter ceteros exheredari, nequidem cum legato, posse, sed omnes, tam masculini, quam fœminini sexus, nominatim exheredandos esse. Effectus regulæ est, ut si posthumi vel posthumæ extraneæ, v. c. nepos vel neptis ex filio emancipato conceptus vel concepta, præteriti vel non nominatim exheredati fuerint, iis sine discrimine sexus bonorum possessio contra tabulas à Prætorio concedatur, & masculis quidem de J. Prætorio, fœminis de J. Civili novo, eadem ratione, qua filiabus neptibusve emancipatis, de quibus Reg. 8. actum. Hisce regulis accedit alia peculiaris de liberis adoptivis : eos, si arrogati, vel adoptati ab aliquo ex ascendentibus paternis vel maternis fuerint, à parentibus adoptivis quamdiu

quamdiu duras arrogatio vel adoptio, præteriri non posse, exheredari posse, ut liberos naturales, secundum regulas de illis tradidas: *sin ab extraneo adoptati sint, à parentibus adoptivis præteriri posse, à naturalibus parentibus non posse, sed exheredandos & quidem nominatim esse, siue duret adoptio, siue soluta sit.* Effectus regula est, ut si liberi arrogati, vel ab aliquo ex adscendentibus adoptati, præteriti, vel non nominatim exheredati ab adoptivis parentibus fuerint, testamentum sit ab initio ipso jure nullum: Sin iidem ab extraneo adoptati, & à naturalibus parentibus præteriti vel non nominatim exheredati fuerint, testamentum vel ipso jure nullum sit, si liberi in potestate parentum naturalium post adoptionem permanent, vel data à Pratore bonorum possessione contra tabulas infirmetur, si post adoptionem à parentibus naturalibus emancipati fuerint. *a. §. 5. & 3. f. de exher. lib. pr. & §. 2. j. de adopt. l. 10. C. de adopt.*

§. XVII. Sed & hoc amplius specialiter videndum, quomodo temperamentum supra §. XII. de J. veteri traditum, se post novum jus, quod hætenus intermedium diximus, à Justiniano introductum, habeat, & quæ inde summa capita ex tota doctrina juris istius intermedii hætenus investigati resulent. Et cum jam ex iis, quæ dicta, intellexerimus, non omne testamentum, in quo præteritio vel exhereditio contra formam J. Intermedio introductam facta, ipso jure esse nullum, sed aliquod perinde ac J. veteri rumpi, aliquod data contra tabulas bonorum possessione infirmari, facili negotio id inde amplius colligitur, si J. intermedio testamentum, in quo præteritio vel exhereditio *rite* seu secundum formam facta, valere, exhereditioque recte facta dicatur, idem illud testamentum, si exhereditio *inique*, seu ex causa non justa, facta sit, querela inofficiosa posse infirmari. Quod tanto magis verum est, quanto minus dici potest, Justinianum quidquam circa Tò *inique*, seu circa causas, ex quibus iusta & in perpetuum valitura exhereditio procedit, cum in allegata supra l. 4. C. de lib. præ. tum in §. 5. j. de exher. lib. quidquam mutasse, vel mutare propositum habuisse.

D

§. XVIII.

Summa ju-  
ris interme-  
dii: Cap. 1.

- §. XVIII.** Ex quibus omnibus hæc in univerſum ſumma capi-  
ta-juris *intermedii* proveniunt: 1.) Si exheredatio *rite*, id eſt ſecun-  
dum formam emendatam, id eſt partim auctam, partim confirma-  
tam, nec *inique* id eſt ex juſta cauſa facta, valet teſtamentum, nec  
2. querela inofficioſi reſcinditur: 2.) Si exheredatio facta *rite* quidem,  
id eſt ſecundum formam emendatam, ſed *inique* ſeu non juſta ex  
3. cauſa, valet quidem teſtamentum ab initio, ſed ex poſtfacto quere-  
la inofficioſi reſcinditur: 3.) Si exheredatio non *rite* ſeu contra for-  
mam emendatam, ſive qua aucta ea eſt, ſive qua confirmata, facta,  
ſive *inique* facta ſit, ſive non *inique* teſtamentum *aut ab initio ipſo*,  
*jure nullum eſt*, vel certe ex poſtfacto ipſo jure evertitur, ſi exhere-  
datio contra formam J. Civili veteri præſcriptam, novoque J. Civili  
vel auctam vel confirmatam, facta eſt: *aut ſubſiſtit de J. Civili, ſed*  
*à Prætorè data* contra tabulas bonorum poſſeſſione infirmatur, ſi  
exheredatio contra formam J. Prætorio præſcriptam, & J. Civili no-  
4. vo auctam vel confirmatam facta, 4.) *Forma* exheredationis conſiſtit  
in eo, quod omnes liberi, cujuſcunque ſexus vel gradus ſint, *no-*  
*minatim* ſint exheredandi, quod quatenus J. veteri Civili vel Præto-  
rio fieri non debebat, eatenus forma vetus aucta, quatenus fieri de-  
5. bebat, eatenus forma vetus confirmata eſt: 5.) Differentia inter li-  
beros intercedit *α*) ratione poteſtatis, qua alii ſunt *(ſui heredes*, alii  
*emancipati*: *β*) ratione nativitatis, qua alii ſunt *naturales*, alii *a-*  
*doptivi*, & hi vel *arrogati* vel *adoptati* in ſpecie, & hi rurſus vel *ab*  
*adſcendente* aliquo, vel *ab extraneo* adoptati; alii *nati* vel *liberi* ſim-  
6. pliciter, alii *poſthumi*: non ratione ſexus vel gradus: 6.) Si *præte-*  
*ritio* facta à *patre* vel *adſcendente* paterno, teſtamentum eſt *ipſo jure*  
*nullum*, ſi filius vel filia, aut nepos neptiſve, & ſic deinceps, ſuus he-  
res præteritus fuit: Contra *ſubſiſtit* teſtamentum, ſed *ipſo jure per*  
*ruptionem infirmatur*, ſi poſthumus vel poſthuma filius filiave, vel  
neptos neptiſve, & ſic deinceps præteritus: vel à *Prætorè data bono-*  
*rum poſſeſſione contra tabulas enervatur*, ſi liberi emancipati, vel alii  
extranei, nati vel poſthumi, præteriti: *vel nec ipſo jure, nec officio*  
*judicis infirmatur*, ſi liberi ab extraneo adoptati à *patre adoptivo*  
*præte-*



preteriti sunt : 7.) *Præteritio*, facta à *matre* æquipollet exheredationi, hoc effectu, ut si præterierit liberos cujuscunque sexus vel gradus, eos *rite* exheredasse intelligatur, testamentumque valeat, nec infirmetur, nisi querela inofficiosi, si *inique*, seu non ex justa causa exheredationis facta sit : 8.) Uti mater liberos, sic etiam adscendentes materni nepotes vel alios descendentes præterire ad effectum exheredationis possunt, nisi per adoptionem civiles quoque parentes effecti sunt : 9.) Testamentum, in quo exheredatio vel præteritio facta, est vel *ab initio nullum*, quando suus vel sua heres, seu primus, seu ulterioris gradus præteritus, qui talis jam tempore facti testamenti existebat ; vel *ex postfacto infirmatur*, idque vel *ipso jure Civili*, quando agnatione vel quasi posthumi vel posthumæ, sui suave heredis, cujuscunque gradus, præteriti, præteritave, rumpitur : vel *officio judicis*, speciatimque vel Prætoris, quando ob neglectam formam exheredationis à se præscriptam dat contra tabulas bonorum possessionem ; vel *alterius judicis*, quando testamentum ob rite quidem, sed inique factam exheredationem querela inofficiosi rescinditur : 10.) Causa justa exheredationis vel præteritionis in incerto sunt, ut J. veteri fuerunt, nec etiam illud mutatum, ut exheredatum vel præteritum generaliter ingratum vocasse sufficiat, sine certa ingratitudinis speciei expressione : 11.) Eadem causa eadem ratione, qua J. veteri, à scriptis heredibus probari debent, sicut ex heredita vel præterita persona contra probare causam falsitatem possit : 12.) Querela inofficiosi testamenti non aliter, quam uti J. veteri, competit, quando se, alio remedio ad hereditatem vel ejus partem venire non potest, nec exheredata vel in institutione præteritæ personæ legatum vel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa vel inter vivos donatum, nec querela præscriptione, vel renunciatione, aut morte personæ exheredata vel præterita extincta : 13.) Effectus querelæ inofficiosi idem est, qui J. veteri fuit, ut totum testamentum, tam quod ad heredis institutionem quam quod ad legata, fideicommissa vel alia capita, infirmetur.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

SECTIO SECUNDA.

§. I.

*Connectio  
cum antec.*

Postquam Præced. Sect. jus vetus, tam illud, quod antiquissimis temporibus apud Romanos, quam id, quod postea ex emendatione Justiniani, ante Nov. tamen 115. circa præteritionem vel exheredationem liberorum obtinuit, perspeximus: Jam hac Sectione ad jus Novissimum progrediemur, & quid eo, puta Nov. 115. c. 3. circa illud jus vetus, ut ante illam Novellam novissimè se habuit, mutatum sit, plenius investigabimus.

*Ordo sequentium.*

§. II. Neque verò, qua ratione & ordine in præsentì procedendum nobis sit, in jure novissimo perferutando, quòd ut dixi, circa liberorum præteritionem vel exheredationem *Novella 115. c. 3.* constitutum, adeo obscurum esse potest. Nam cum jam §. IX. Sectionis primæ dictum, quæstionem unam, quid *Novella 115. c. 3.* circa jus vetus mutatum sit, in plures quæstiones diducendam esse, simulque postea jus vetus ita investigatum propositumque sit, ut primum diversæ regulæ de diversis liberis darentur, atque adeo jus vetus per varias liberorum distinctiones diduceretur, deinde idem rursus in certa summa capita colligeretur: facili negotio intelligitur eundem ordinem regularum capitumque, in præsentì sequendum, atque adeo primum distincte videndum, quid circa *suorum* liberorum, qui tales tempore testamenti conditi existunt, tum circa *emancipatorum* aliorumve *extraneorum*, tum circa *posthumorum* tam *suorum* quam *emancipatorum* vel aliorum *extraneorum*, denique circa *adoptivorum* præteritionem vel exheredationem mutatum: Tum vero in universum quid in quovis capite juris veteris mutatum sit, & quid in suo vigore permanserit, considerandum ac declarandum. Per jus vetus autem intelligimus illud, quod novissimè ante Novell. 115. obtinuit, quodque in Sectione prima jus *medium*

medium seu intermedium appellatum, & §. XIV. seqq. in primis vero §. XVI. XVII. XVIII. continetur.

§. III: Ex suis libetis primo loco se offert filius suus, cujus favor tam magnus semper apud Romanos fuit, ut nec antiquissimo jure prateriti vel inter ceteros exheredari possit, sed nominatim debeat exheredari, hoc effectu, ut si nominatim exheredatus non fuerit, testamentum sit ipso jure nullum; quod nec postea J. Prætorio, nec J. Civili novo à Justiniano ante Nov. 115. introducto mutatum, secundum ea, quæ supra §. X. & XVI. dicta sunt. Circa hujus ergo filii sui præteritionem vel exheredationem quaeritur, an quid quantum per Nov. 115. c. 3. mutatum sit? Sane non desunt, quos jam VINNIUS Qu. 20. l. 2. ex parte excitavit, qui istam Nov. non minus de præteritione, vel exheredatione filii sui, quam de alia quavis præteritione vel exheredatione accipiunt, atque adeo primam propositæ quaestionis partem, an quid mutatum, affirmant. Neque vero segatiores sunt circa alteram partem quaestionis, quantum mutatum, in demonstrando eo, quid mutatum, arbitrantur. Ajunt, si justa præteritionis vel exheredationis id est Nov. 115. c. 3. approbata causa testamento inserta, eaque ab herede scripto probata fuerit, testamentum valere, tam quod ad heredis institutionem, quam quod ad reliqua capita, at si talis justa causa expressa in testamento non fuerit, testamentum quidem ipso jure nullum esse, sed quod ad institutionem tantum, non quod ad reliqua capitula pertineat: Si denique justa causa expressa fuerit, sed ab herede scripto probata dari non possit, testamentum ab initio subsistere, sed postea querela inofficiosi rescindi, quod ad heredis institutionem, non quod ad reliqua capitula. Ratio primæ assertionis desumpta est à generalitate Novellæ, quippe qua c. 3. pr. sine distinctione sancitur, non licere penitus patri vel matri, avo vel avia, proavo vel proavia, suum filium aut filiam vel ceteros liberos præterire, aut exheredes in suo facere testamento, nisi forsitan probentur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas suo inseruerint testamento. Inde argumentantur: Si nec patri licet, nec matri, præterire vel ex-

Quaestio 1.  
Quid mutatum circa præterit. vel exheredat. filii sui.

Sententia una eaque communis.



heredare filium vel filiam, vel ceteros liberos, certe nec licet patri praterire vel exheredare filium *suum*, seu quem habet in potestate; nisi iusta prateritionis vel exheredationis causa in testamento expressa, & ab herede scripto probata fuerit. Et à contrario sensu: si licet patri vel matri praterire vel exheredare filium vel filiam, vel ceteros liberos, si iusta causa in testamento expressa, & ab herede scripto probata fuerit, certe etiam patri licet praterire vel exheredare filium *suum*. Ex quo porrofluit: Si licet patri vel matri praterire liberos ex iusta causa in testamento expressa & ab herede scripto probata certe etiam exheredare eos inter ceteros, consequenter patri exheredare filium *suum* inter ceteros licet. Cujus rei ratio haut in obscuro est, quod sc. cui id, quod magis est, liceat, ei non possit non licere id, quod minus est. Similiter *secundæ* assertionis, quod sc. iusta causa non expressa, testamentum etiam novissimo jure nullum sit, sed quod ad heredis institutionem tantum, non quod ad reliqua capita testamenti, ratio à generalitate verborum ultimarum d. c. 3. petita, quibus sc. sine omni distinctione constituatur, ut si causa iusta in testamento expressa non fuerit, nullum exheredatis liberis præjudicium generari debeat, sed quantum ad institutionem heredum pertineat, testamento evacuato, liberi ad parentum hereditatem tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire, si verò contigerit, ut in quibusdam talibus testamentis quædam legata, vel fideicommissa, aut libertates, aut tutorum donationes relinquuntur, vel alia legibus non contraria disponantur, ea omnia valere & adimpleri debeant. *Tertiæ* denique assertionis, quod sc. si iusta causa exheredationis vel prateritionis in testamento expressa fuerit, sed ab herede scripto probari non possit, testamentum ab initio valeat, sed postea querela inofficiosi rescindatur, ratio inde desumpta est, quod probatio iustæ causæ non ad formalem rationem exheredationis, seu ad formam juris in exheredatione faciendâ præscriptam non pertineat, sed tantum ad id, ut de factò & veritate causæ exheredationis constet, id est, quod probatio causæ iustæ & expressæ non ad *existentiam*

*siam* exheredationis vel præteritionis, sed ab *substantiam* pertineat. v.  
HOPP. ad §. 5. 7. de exher. lib.

§. IV. Contra hæc ab altera parte ex VINNII aliorumque *Sententia*  
sententia exoriuntur argumentationes; quamvis primo intuitu Nov. *Vinnii* &  
115. c. 3. tam late patere videatur, ut de *sui* etiam filii præteritione *Sociorum*.  
vel exheredatione agat, maximè cum sancitum sit, ne *penitus* patri  
vel matri, avo vel aviæ, proavo vel proaviæ, suum filium vel fi-  
liam, vel ceteros liberos præterire, aut exheredes facere liceat: ta-  
men, si novella penitus inspiciatur, deprehendi, eam plane ad  
eum casum, quo filius *suius* præteritus, non pertinere. Nam cum *Ejus ratio*  
Novella jus novum & correctorium contineat, cujus rationi con-  
forme est, ut interpretatio quantum fieri per alias bonæ interpre-  
tationis regulas possit, stricte suscipiatur, atque sic restringatur, ut  
à veteri jure, quam minimum recedat, illud *primum* apparet, no-  
vellam stricte interpretandam esse, nec temere extendendam ad ca-  
sus, qui aut specialem atque distinctam ab aliis rationem habeant,  
aut alias commodè extra limites novi juris constituti dici possint.  
Et quamvis ex nostratibus JCtis unus vel alter illi regulæ de stricte  
novi juris interpretatione parum vel nihil tribuant, cum inde sæpe  
absurdissimæ interpretationes sequi videantur; tamen notanter di-  
ctum, *quantum fieri per alias bonæ interpretationis regulas possit*, quo  
dubiis ipsorum & consequentiis absurdis occurritur, ut taceam, il-  
los ipsos, qui novellam ad filium suum præteritum vel exheredatum  
extendunt, illam regulam ambabus manibus amplecti, & multum  
diligenterque etiam sine illo temperamento, tradere solere. Jam  
autem cum novella sine consequentia absurditatis accipi de illis tan-  
tum casibus possit, quibus J. veteri testamentum ob præteritionem  
vel non rite factam exheredationem nullum non est, consequitur,  
eam ad illos casus, atque adeo ad emancipatos vel posthumos præ-  
teritos vel non rite exheredatos restringendam esse, nec extenden-  
dam ad eum casum, quo filius *suius* præteritus, vel non rite exher-  
edatus est, quippe quo casu testamentum ipso jure nullum esse, ex  
illis, quæ paulo ante, & in Sectione I. §. X. & XVI. dicta, constat.  
*Deinde*

Deinde cum finem novellæ & rationem inspiciamus, deprehendimus, eam in favorem liberorum & commodum constitutam esse, ut injuria præteritionis vel exheredationis ab illis averteretur, quod ipse Imperator in seq. c. 5. verbis initialibus diffiteri non potuit. Jam autem novellam istam ad filium *suum* applicare velle, quid aliud foret, quam quod in favorem liberorum & commodum constitutum, id in filii *sui* odium & detrimentum vertere? Nam cum ex novellâ 115. testamentum tantum, quod ad heredis institutionem non valeat, (sive de cætero nullum esse, sive rescindi querela inofficiosi dicamus) quod ad reliqua capita subsistat; J. veteri autem filio *suo* præterito, vel non rite exheredato testamentum totum ipso jure nullum sit, manifestum est, filium *suum*, si ad illam novellam traheretur, deterioris conditionis fore. *Accedit*, si verba ipsa novellæ & effectum novæ dispositionis consideramus, eam non agere de testamento, quod ipso jure nullum est, sed de eo, quod per querelam inofficiosi rescindendum, ut inferius suo loco pluribus demonstrabitur, consequenter eandem novellam ad testamentum, in quo filius suus præteritus, vel non ritè exheredatus, non pertinere.

J. V. Enim vero si meo qualicumque judicio rem expendo, non puto, tam indissolubilem nodum in quæstione, de qua agitur, subesse, ut legislatoris decisione opus sit, uti quidem FULGOSIO in *Auth. Ex causa C. de lib. præter.* adeo visum fuit, ut in animo habuerit, illam quæstionem in Concilio Constantiensi decidendam proponere. Neque vero simpliciter aut cum VINNIO, aut cum illis, quos pro adversariis habet, facere possum, sed existimo, Novellam quidem etiam ad filium suum, sed non ad casus, quibus J. veteri testamentum ob præteritionem vel non rite factam exheredationem filii sui ipso jure nullum est, pertinere. Nam uti primum, quod etiam atque etiam observandum, negari non potest, Novella 115. c. 3. aliquid ad formam veterem præteritionis vel exheredationis adjectum esse, ut sc. cum J. veteri suffecerit præteritionem, adjecta generaliter ingratitude mentione, vel hoc amplius exheredationem nominatim factam esse, J. novissimo præter ea, specialis causæ

Sententia  
propria &  
media.

1.) Proponitur.

2.) Explicatur.

causa ingratitudinis expressio requiratur : ita jam diligentes inter formam exheredationis vel præteritionis *J. veteri constitutam*, & cuius augmentum jure Novellarum introductum, seu brevius inter formam veterem & novam est distinguendum. Quantum enim ad formam veterem seu *J. veteri constitutam* attinet, si filius suus non nominatim, sed inter ceteros exheredatus vel plane præteritus fuerit, novella ad eum casum non pertinet, sed testamentum est & manet ex *J. veteri* totum penitusque & ipso jure nullum. Quod si verò filius nominatim quidem exheredatus fuerit, sed contra formam novam seu augmentum formæ novella adjectum causa exheredationis in testamento expressa non fuerit, ad hunc casum omnino novella pertinet, sed non hoc effectu, ut testamentum sit ipso jure nullum, ne quidem quod ad heredis institutionem, verum ut querela inofficiosi rescindatur, & quidem quod ad heredis institutionem tantum, non quod ad reliqua capita testamenti. Nam si novella ad eum casum non pertineret, filius suus deterioris conditionis, quam alii liberi foret, quippe qui illo casu querelam inofficiosi haberent, filius suus non haberet. Neque supervacanea illo casu querela inofficiosi testamenti est, sed omnino maximum beneficium *J. novissimo* tributum continet. Pone enim, exheredationem plenissime secundum formam *J. veteri constitutam* factam esse, esse factam nominatim, esse quoque factam ex iusta causa, sed quæ specificè expressa non sit, liberi sane quicumque sint, de *J. veteri* querelam inofficiosi non habent, neq; in specie si filius suus ita exheredatus, testamentum de *J. veteri* nullum est, aut querela inofficiosi rescindi potest, sed unice remedium ex illa novella petendum est, quæ si ad filium suum non pertinere diceretur, non posset non filius suus à beneficio querelæ & rescissionis exclusus esse, quod reliquis liberis competeret, contra juris analogiam, quo semper maximus favor & prima ratio eorum ex liberis, qui in potestate sunt, habetur. Sed hoc sedulo diligenterque cavendum, nec novellam & beneficium rescissionis ad formam veterem trahamus, cum si filius suus nominatim non fuerit exheredatus, manifeste deterioris conditionis futurus

turus sit, quam J. veteri fuerit, si non nisi per novellam beneficium rescissionis seu querelam inofficiosi eamque effectu mutilatam habere deberet, cum J. veteri querelam nullitatis habuisset. Imo nec filius emancipatus vel ulterioris gradus liberi emancipati si neglecta forma veteri, id est non nominatim, sed inter ceteros, exhereditati, vel plane prateriti fuerint, ex novella querelam inofficiosi habent, fed etiam post illam novellam ex J. veteri à Pratore ad bonorum possessionem contra tabulas admittuntur. Nam licet B. P. contra tab. eatenus cum querela inofficiosi, quæ ex novella descendit, convenire videatur, quod utraque testamentum tantum quod ad institutionem heredis, non quod ad alia capita, rescindat, l. 1. de legatis præstandis c. t. B. P. petita l. 34. §. f. de vulg. & pup. substit. tamen hoc tantum de substitutionibus pupillaribus & legatis certis personis, puta liberis, parentibus, uxori nurui dotis nomine, relictis, quæ rescisso per B. P. c. t. testamento præstanda sunt, non de aliis capitibus testamenti verum est, consequenterque differentia inter B. P. c. t. & querelam inofficiosi etiam in effectu datur, cum querela inofficiosi etiam in effectu datur, cum querela inofficiosi ex novella nulla capita testamenti præter heredis institutionem rescindantur, atque adeo bonorum possessio c. t. pinguior sit. Imo etiamsi pinguior non esset, tamen differentia à præscriptione & sic porro, superesset, obstaretque regula, quod querela inofficiosi non competat, si alio remedio ad hereditatem vel ejus partem perveniri possit quæ per novellam sublata dici non potest, si per eam non nullitatis, sed inofficiosi querelam, & quidem ob neglectum augmentum formæ, non ob formam veterem neglectam, secundum ea, quæ dicta, tribui asserimus. Unde jam patet, quod ad novellam nullam differentiam inter suos & emancipatos liberos esse, sed ad utrosque novellam, eodemque effectu pertinere verum quod ad augmentum formæ novella adjectum, non quod ad formam J. veteri constitutam.

3.) Extensio.

§. VI. Hoc amplius novella tam ad filium suum, quam ad liberos emancipatos pertinet, quando forma exheredationis tam  
secum-



secundum jus vetus, quam secundum novum observata, atque adeo causa etiam exheredationis in testamento expressa fuit, sed illa causa in numero earum non est, quæ in novella selectæ & comprobatae sunt. Nam si ponamus, causam esse talem, quæ J. veteri ad exheredationem sufficiat, nec emancipati liberi, nec filii sui aliud remedium, quam rescissionis ex novella habent, quæ si ad filios suos non pertinere diceretur, illi similiter ac priori casu, quando forma nova neglecta, deterioris conditionis forent, quam liberi emancipati, cum illi possint ex causa exheredari, ex qua hi non possint: illi remedium juris habeant, quo possint exheredati ad hereditatem pervenire, hi nullum habeant.

§. VII. Unde jam facile intelligitur, quid ad argumenta VINNII aliorumque §. IV. proposita respondendum. Nam etsi novellam jus novum & correctorium continere, atque adeo quantum fieri possit, stricte interpretandam esse concedamus, tamen id adeo stricte, ut novella nullo modo ad filios suos pertinere dicatur, fieri nec potest, nec debet; sed sufficit, novellam tam stricte accipi, ut restringatur ad id, quod noviter induxit de causarum, quas probavit, expressione, ne pertinere dicatur ad filios suos, quatenus illi secundum formam J. veteris rite exheredati non fuerunt. Neque verendum, ne novellam ullo modo ad filios suos applicando efficiamus, ut quod in favorem & commodum liberorum per novellam constitutum, id in filiorum suorum odium & detrimentum detorqueatur, cum potius ex illis, quæ §. præc. dicta, constet, si novella nullo modo ad filios suos pertinere diceretur, tunc demum eam, quæ in favorem liberorum & commodum lata, in odium & detrimentum filiorum suorum cedere & detorqueri. Et quamvis VINNIUS neget ac perneget, quidquam novella circa formam exheredationis, seu quatenus ea rite fiat, mutatum esse, sed omne, quod novella contineatur, ad id, *jube* ac *inique* exheredatio facta sit, pertinere: tamen primo verius est illud ex novella, quod causa exheredationis vel præteritionis in testamento exprimi debet, ad formam exheredationis pertinere. Deinde etiam si id ad formam

4.) *Confirmatur quibusdam argumentis.*  
*a) Ab una parte obiectis.*



non referamus, tamen sufficit, illam dispositionem novam, non minus ad filios suos, quam liberos emancipatos referendam esse, atque adeo dici non posse, novellam tantum de liberis emancipatis vel posthumis, non de filiis vel aliis liberis suis agere. Neque denique obstat, quod novella de testamento rescindendo agat, non de eo, quod ipso jure nullum: nam satis superque dictum, novellam ad filios suos, quatenus testamentum, in quo prateriti vel non rite secundum jus vetus exheredati, de J. veteri ipso jure nullum est, non pertinere, pertinere tamen, quatenus nominatim quidem sed non expressa ingratitude causa, vel ex causa de J. veteri sufficiente exheredati fuerint, atque sic tamen ad eos aliquo modo, & quidem eodem modo, quoad liberos emancipatos vel postumos pertinere. Quodsi hanc eandem VINNII mentem esse dixeris, mihi perinde erit, modo rem amplectaris, cum statuentium nomina, personas auctoritatem servili obsequio respicere mei moris non sit; sed simul fateri necesse habebis, VINNIUM illam mentem suam non satis declarasse, & nescio sane an hæc, quæ satis opinor distincte proposita, VINNIO unquam cogitata, ac vel animo distincta fuerint.

§) Ab altera parte obicitis.

§. VIII. Contra nec ab altera parte obstat sententia nostra generalitas novellæ, cum in ipsa dispositione de exheredatione vel prateritione liberorum, expressa justa causa facienda, tum in dispositionis effectu i. e. validitate vel invaliditate testamenti, quod ad heredis institutionem, non quod ad alia capita. Nam hic valet illud, quod ab altera parte dictum, plenissime novellam ceu jus novum & correctorium ita interpretandum esse, ut à J. veteri quam minimum recedat. Quod omnino fit & fieri debet, si dicamus, per novellam & ejus dispositionem de causa exprimenda, quæ in novella approbata, non sublatam veterem exheredationis formam, qua ista nominatim à patre fieri debet, sed auctam esse, sicut præter nominationem filii in exheredatione etiam causa nominari seu exprimi, & quidem talis debeat, in novella approbata, effectum vero, de quo novella loquatur, ad id, solum, quod noviter, (de ex-

primenda causa, & numero ac qualitate causarum) constitutum, non ad id, quod J. veteri obtinet, (& novella non sublatum, sed tacite confirmatum fuit) pertinere, nec de nullitate testamenti, quod ad heredis institutionem, sed de infirmatione ejus per querelam inofficiosi, (quæ J. veteri, observata forma exheredationis eodem J. præscripta, sola supererat) accipiendam esse, maxime cum ipsa verba id manifeste insinuent, per ea, quæ inferius suo loco ea de re plenius dicentur. Accedit, quod si filium suum præteritum ad novellam trahamus, sive ei nullitatis, sive inofficiosi querelam ex illa novella concedamus, eum deterioris conditionis futurum, quam ante novellam fuerit, (cum non totum testamentum, ut ante, sed quod ad heredis institutionem tantum nullum foret) quod noluisse Justinianum in novella, quæ in favorem liberorum, (inter quos sui filii vel liberi primum locum obtinent) sine dubio scripta, consentaneum veritati non est, nec regulis bonæ interpretationis convenit. Neque obstat, quod præteritionis & exheredationis vocabula indistincte in novella de parentibus posita sint. Nam hoc ita non esse, sed præteritionis vocabulum commoda interpretatione de sola matre, exheredationis vocabulum de patre & matre, adscendentibusque paternis accipiendum esse, cum jam facile ex attenda textus lectione intelligitur, tum inferius suo loco dicitur.

J. IX. De filiis suis ex prima regulâ earum, quas supra allegato §. XVI. Sect. I. tradidimus, progredimur ad filias suas cæterosque *liberos suos ulterioris gradus*, de quibus regula secunda actum. Neque vero de his est, ut multa dicamus, cum jam J. veteri, sublata sexus ac gradus differentia, filiis suis exæquati fuerint. Unde quæ hæcenus de filiis suis dicta, ea etiam ad filias suas, cæterosque liberos suos per virilem sexum descendentes applicanda sunt. Ex quo consequitur, si filia suæ vel nepotes sui, neptesve suæ & sic deinceps, præteriti vel non nominatim exheredati à patre, vel avo aut alio adscendente paterno fuerint, testamentum etiam post novellam esse ipso jure nullum, nec ad hosce casus novellam pertinere: at si nominatim exheredati fuerint, verum ex causa non specificè in testamento expressa, aut non tali, quæ in novella

*Quæst. II.  
de filiabus  
suis & reli-  
quis liberis  
suis ulterio-  
ris gradus.*

approbata, testamentum non esse ipso jure nullum, sed rescindi ex novella querela inofficiosi, quod ad heredis institutionem, non quod ad reliqua capita. Unde circa J. vetus sic nihil mutatum est, ut aliquid ex eo deesse possit, sed ut aliquid ex J. novo accedere debeat, sicut ex veteri jure, si quid neglectum, testamentum secundum jus vetus, si quid ex novo neglectum secundum J. novum judicari debeat.

*Quaest. 111.  
de emanci-  
patis libe-  
ris.*

§. X. Succedunt *emancipati* liberi, qui de J. veteri si präteriti à patre vel ascendente paterno, aut non nominatim exheredati fuerint, à Pratore ad bonorum possessionem contra tabulas admittuntur, nec testamentum ipso jure nullum est, secundum ea, quæ d. §. XVI. Sect. 1. Reg. 3. & §. X. Reg. 3. dicta. Circa hos similiter ac circa liberos suos novella eatenus nihil mutatum, quatenus ex J. veteri nominatim exheredari debent, & quatenus si nominatim exheredati non sunt, bonorum possessores contra tabulas efficiuntur, secundum ea, quæ jam supra §. V. h. Sect. occasione liberorum suorum dicta sunt. At quatenus J. veteri opus non erat, ut causa exheredationis exprimeretur, vel causa esset una ex illis, quæ novella enumerata, eatenus mutatio per novellam etiam circa emancipatos liberos, perinde ac circa suos facta, ut causa exheredationis exprimi in testamento, eaque una ex illis, quæ in novella enumerata & approbata sunt, esse debeat, hoc effectu, ut si talis non fuerit, vel expressa non fuerit, testamentum non sit ipso jure nullum, sed rescindatur & quidem tantum quoad heredis institutionem, non quod ad reliqua capitula.

*Quaest. 114.  
de posthu-  
mis suis.*

§. XI. Sequuntur posthumi & primo quidem loco posthumi sui, quibus präteritis à patre vel ascendente paterno, aut non rite exheredatis, testamentum non ipso jure nullum est, sed peculiari ratione infirmatur ipso jure nativitate posthumi, qua speciali vocabulo *rumpi* testamentum dicitur, secundum ea, quæ §. X. & XVI. Sect. 1. Reg. 4. 5. 6. dicta sunt. Neque differentia est ratione sexus vel gradus eo jure veteri, quod novissime ante Novellam obtinuit, ut ibidem satis opinor declaratum, Circa hos ergo posthumos suos, cujus-

ejusdemque sexus vel gradus, speciatimque circa eorum præteritionem vel exheredationem, quando quærimus, quid novella mutatum, similiter ut de natis liberis suis respondemus, nihil de illis, quæ J. veteri ad formam exheredationis pertinebant, demtum vel circa effectum non rite factæ exheredationis mutatum esse, sed uti J. veteri filii filiæve, nepotes neptesve & sic deinceps posthumi sui, præteriti à patre vel ascendente paterno, aut non rite exheredati, testamentum nativitate rumpebant; sic eosdem illud etiam post novellam rumpere, penitusque infirmare, hoc est non solum, quod ad heredis institutionem, sed etiam quod ad alia capita omnia: Contra verò, si observata forma J. veteri præscripta, id est nominatim facta exheredatione, aliquid eorum, quæ novella amplius requiruntur, neglectum fuerit, infirmari ex novella testamentum, atque rescindi, verum, quod ad institutionem heredis tantum, non quod ad alia capita.

§. XII. Posthumos suos excipiunt posthumi *extranei*, qui J. veteri, quod ante novellam novissime obtinuit, sine distinctione sexus vel gradus præteriri non possunt, ne quidem cum legatum acceperunt, sed ut liberi nati, nominatim exheredandi sunt, & si non sunt nominatim exheredati, ad bonorum possessionem contra tabulas admittuntur, secundum ea, quæ §. XVI. Sect. 1. Reg. 7. dicta sunt, quando quæritur, quid circa eorum præteritionem vel exheredationem per novellam mutatum sit, idem, quod de posthumis suis respondemus, circa formam exheredationis J. veteri præscriptam eatenus nihil mutatum esse, quatenus posthumi extranei, si non secundum illam formam exheredati fuerint, ad bonorum possessionem c. t. admittantur, nec demum ex novella testamentum rescindatur, licet præter id, quod nominatim exheredati non sint, causa etiam exheredationis nulla expressa sit. At quatenus ad veterem formam novella hoc adjectum fuerit, ut causa exheredationis exprimi in testamento debeat, itemque talis causa esse, qualis in novella approbata sit, eatenus mutatio quædam contigit, ut formam veterem observasse, vel ex causa J. veteri sufficiente exheredasse,

Quæst. V.  
de posthu-  
mis extraneis.

dasse, non amplius sufficiat, ad hoc, ut liberi exheredati testamentum rescindere non possint, sed etiamsi exheredatio nominatim vel ex causa, quæ de J. veteri sufficere poterat, facta fuerit, tamen, si non & causa, eaque talis, quæ novella approbata expressa fuerit, testamentum ex novella rescindi possit, sed quod ad institutionem, non quod ad alia capitula. De cætero quid inter bonorum possessionem c. t. quæ posthumis extraneis etiam post novellam vindicatur, & rescissionem, quæ ex novella descendit, effectu interfit, jam ex iis, quæ supra §. V. hujus Sect. de emancipatis dicta intelligi potest.

*Quæst. V.  
de liberis  
adoptivis.*

§. XIII. Ultimo loco veniunt liberi *adoptivi*, qui de J. veteri secundum distinctionem Justiniani paulò ante novellam introductam, quando arrogati, vel ab aliquo est ascendentibus paternis vel maternis adoptati sunt, à parentibus adoptivis præteriri non possunt, exheredari ut liberi naturales possunt, quamdiu arrogatio vel adoptio durat, quando verò ab extraneis adoptati, à parentibus adoptivis præteriri possunt, sed à naturalibus parentibus non possunt, siue duret adoptio siue soluta sit, secundum ea, quæ *Reg. 8. §. XVI. Sect. 1.* dicta sunt, ubi etiam de effectu ejus rei actum, quando liberi adoptivi præteriti, vel non rite exheredati ab iis, à quibus exheredari debuerunt. Jam ubi ulterius quarimus, quid circa eorum præteritionem vel exheredationem per novellam mutatum, idemprehendimus dicendum, quod de naturalibus liberis dictum & tantum ad adoptivos applicandum, Nempe si liberi adoptivi à parentibus adoptivis, à quibus debent aut heredes institui, aut nominatim, ut liberi naturales exheredari, id est arrogati vel ab ascendentibus adoptati, præteriti vel non nominatim exheredati fuerint, testamentum uti J. veteri ipso jure nullum est, sic ut nihil penitus ex eo valeat, ita etiam post novellam tale est, sic ut nec legata vel alia capitula valeant; Si verò qui ab extraneis adoptati, ab iisdem præteriti fuerint; testamentum valet: Sin à naturalibus parentibus præteriti vel inter cæteros exheredati fuerint, testamentum uti J. veteri vel ipso jure totum penitusque nullum est, si liberi in potestate paren-

parentum naturalium post adoptionem permanferunt, vel data à Pratore bonorum possessione contra tabulas infirmatur, si post adoptionem à parentibus naturalibus emancipati fuerunt, sic etiam post novellam testamentum vel nullum est in totum penitusque, ut nec legata & similia capita valeant, vel data bonorum poss. c. t. infirmatur, licet causa exheredationis secundum novellam expressa non fuerit. At si arrogati liberi vel ab adscendentibus adoptati à parentibus suis adoptivis, vel ab extraneis adoptati à parentibus naturalibus nominatim exheredati fuerint, sed causa expressa non sit in testamento, vel causa non sit ex numero earum, quæ novella recensita & approbata sunt, testamentum de J. veteri valet atque subsistit, sed ex novella rescinditur, non tamen totum penitusque sed quod ad institutiones tantum.

§. XIV. Hæc hæcenus sigillatim de liberis natis & posthumis, suis & emancipatis vel extraneis, naturalibus & adoptivis dixisse sufficiat. Jam ordo supra §. II. constitutus postulat, ut summa capita juris veteris, quod ante novellam novissime obtinuit, ex §. ult. Sect. I. perlustrentur, & quid circa singula per novellam mutatum sit; investigetur, penitusque planum fiat, ne quid eorum, quæ dicenda sunt, intactum aut obscurum permaneat. Quod ergò ad caput *primum* attinet, quo dictum, si exheredatio rite nec inique facta sit, id est, secundum formam J. veteris & justa ex causa, seu de jure veteri sufficiente facta sit, testamentum valere, nec querela inofficiosi rescindi: omnino mutatio circa illud per novellam contigit, sic ut formam illam observasse, vel ex causa J. veteri sufficiente exheredasse non sufficiat, sed opus sit, ut præterea causa exheredationis in testamento expressa, eademque ex numero illarum fuerit, quæ novella enumerata ac approbata sunt, alioquin omnino testamentum novissimo jure rescindi potest, sed quod ad institutiones tantum, non quod ad alia capita. Unde caput illud sic reformandum est: Si exheredatio *rite* id est secundum formam J. veteri præscriptam & novella auctam, nec *inique* id est ex justa causa, qualis novissimo jure est, seu in novella habetur, valet testamentum, nec ullo jure, aut ullo modo

*Quæst. VI.  
de exheredatione rite,  
nec inique  
facta.*

infirmatur. Quodsi negaveris, expressionem causa ad formam exheredationis pertinere, per me licet sine mentione forma simpliciter ita dicere: Si exheredatio non solum nominatim, verum etiam expressa causa facta, eaque causa in novella approbata est, valet testamentum nec ullo jure aut ullo modo infirmatur. Sic enim difensus in verbis, in re ipsa, quæ negari non potest, consensus futurus est, etiam à parte eorum, qui ex novella, si exheredatio non secundum eam facta, testamentum ipso jure nullum esse statuunt, quoniam sc. negativè de infirmatione pronunciat.

Quest. VII.  
de exheredat. rite sed inique facta.

§. XV. Porro secundum caput summum juris veteris agit de rite quidem, sed inique facta exheredatione hoc sensu, ut si rite quidem, id est secundum formam J. veteri præscriptam, sed inique id est non ex causa de J. veteri sufficiente, facta sit, testamentum ab initio valeat, sed ex postfacto querela inofficiosi rescindatur. Circa hoc caput communis sententia, quæ supra passim facta, & jam plenius exequenda est, primum tenet mutationem novella circa Tò rite factam esse, sic ut licet exheredatio secundum formam veteris juris, id est nominatim facta sit, si non eadem secundum formam novi juris seu novella præscriptam, id est expressa causa, facta sit, testamentum non valeat ab initio & postea, si inique, seu non justa ex causa facta, querela inofficiosi rescindatur, sed ab initio sit ipso jure nullum, non tamen in totum, sed quod ad heredis institutionem tantum. Ratio eorum præcipua est, quod novella nova forma institutioni vel exheredationi aut præteritioni liberorum præscripta sit, qua neglecta non possit fieri, quin testamentum ipso jure nullum sit, per regulam, quod omne id, quod contra legem fit, ipso jure nullum sit, L. §. C. d. leg. Enim vero quamvis id non negaverim, quod VINNIUS fecit, novella novam quodammodo formam institutioni vel exheredationi aut præteritioni liberorum præscriptam esse, tamen inde non sequitur, si nova illa forma observata non fuerit, testamentum esse ipso jure nullum, cum regula prædicta, quod omne illud nullum sit, quod contra regulam fiat, exceptionem patiat, nisi legi remissioem effectum à legislatore tributum esse, vel ex claris verbis legis, vel ex regulis bonæ inter-

pre-



pretationis constet. Jam si novellam inspiciamus & attente consideramus, deprehendimus primo eam de *rescissione & evacuatione* testamenti loqui. Nam ita verba in f. c. 3, ex versione vulgata sonant: *Si autem hæc observata non fuerint, nullum exheredatis liberis præjudicium generari, sed quantum ad institutionem heredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hereditatem liberos, tanquam ab intestato ex aqua parte pervenire, &c. Et paulo post: Si vero contigerit, in quibusdam talibus testamentis, quædam legata vel fideicommissa, aut libertates, aut tutorum dationes relinqui, vel quælibet alia capitula concessa legibus nominari: ea omnia jubemus adimpleri, & dari illis, quibus fuerint derelicta, & tanquam in hoc non rescissum obtineat testamentum.* Ubi in græco textu priori loco verbum ἀνεπίστατον, posteriori verbum ἀνακληθέντα positum est, quod utrumque *rescissionem & infirmationem* significat, unde & HALOANDER priorem locum vertit: ad irritum *recedente testamento*, posteriorem: *perinde quasi ea parte testamentum non subversum rescissumque valeret.* Jam autem quod rescinditur, quod infirmatur, quod subvertitur, imo etiam, quod irritum fit, id ipso jure nullum non est, sed ab initio valet, & ex postfacto infirmatur, seu ipso jure, seu ope judicis, actione vel quærela implorati.

§. XVI. Hæc de mutatione, quæ per novellam circa exhere-  
 dationem ex J. veteri rite factam, inducta est. Restat adhuc ex §. <sup>Supplementum ex §.</sup>  
 XV. ut videamus, an circa *iniquè* mutatio, & quamam per no-  
 vellam facta fit. De J. Veteri si *iniquè*, seu non ex causa sufficiente <sup>XV. h. de</sup>  
 exhereditatio facta, valet testamentum ab initio (si rite factum,) sed <sup>iniquè facta</sup>  
 postea querela inofficiosi rescinditur. Hoc per novellam eatenus <sup>exheredita-</sup>  
 mutatum, ut licet exhereditatio ex causa de J. veteri sufficiente, (id <sup>tionem.</sup>  
 est, quæ judici sat gravis videatur,) facta fuerit, si non eadem ex numero earum fit, quæ in novella recensita & approbata sunt testamentum amplius etiam quam de J. veteri per querelam inofficiosi rescindi possit, non tamen ipso jure infirmetur, vel nullum sit, cum

idem effectus ejus rei sit, quod exheredatio non ex causa in novella expressa facta, qui est, (secundum ea, quæ hæcenus copiosius demonstrata) quando exheredatio non expressa in testamento causa facta. Nam cum Imperator in novella primum sanxisset, ut causa exheredationis in testamento exprimeretur, mox subjicit causas & enumerat, quæ in posterum pro justis haberi debeant, & tandem circa finem Cap. 3. generatim concludit: *Sive igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet parentes in testamento suo inseruerint, & scripti heredes nominatam vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse monstraverint, testamentum suam habere firmitatem decernimus. Si autem hæc observata non fuerint, nullum exheredatis liberis præjudicium generari &c.*

Quæst. VIII.

de non rite facta exheredatione.

§. XVII. Succedit tertium caput summum ex §. f. Sect. I. de non rite facta exheredatione, quod ob eam, sive de cætero inique, sive nec inique facta sit, testamentum vel ipsò jure nullum sit, aut certe ipso jure infirmetur, vel subsistat, sed à Prætorè data contra tabulas bonorum possessione infirmetur. Circa hocce caput quando quaritur, quid per novellam mutatum, respondemus, si ratione veteris juris non rite facta exheredatio sit, id est contra formam J. veteri præscriptam, puta non nominatim, nihil mutatum esse, sed testamentum etiam post novellam vel ipso jure nullum esse, aut ipso jure everti, vel à Prætorè data bonor. poss. contr. tab. infirmari. At si observata forma exheredationis J. veteri præscripta fuerit, sed quod J. novo ad illam formam accessit, observatum non fuerit, puta causa exheredationis in testamento expressa non fuerit, testamentum ab initio valere, sed ex postfacto querela inofficiosi infirmari, sive de cætero inique sive nec inique id est sive ex causa in novella approbata, sive ex non approbata exheredatio facta sit.

Quæst. IX.  
de forma exheredationis.

§. XVIII. Quartum caput summum J. veteris de forma agit, eamque dicit in eo consistere, quod omnes liberi, cujuscunque sexus vel gradus sint, nominatim exheredandi sint. Circa hocce caput, quando querimus, quid mutatum, similiter ut de præcedenti respondendum habemus, eam formam etiam post novellam obtinere &

& observandam esse, sed non solam, verum ad eam per novellam accessisse augmentum, ut causa quoque exheredationis exprimi in testamento debeat, atque adeo & nominatim, & causa expressa liberi exheredandi sint, salva effectus differentia, si non nominatim, vel nominatim quidem, sed causa non expressa exheredati fuerint, de quo §. præced. dictum.

§. XIX. Quintum caput summum J. veteris complectitur *Quæst. X.* differentias liberorum 1.) à *potestate*, qua alii sunt *sui heredes*, alii *de differencia emancipati*: 2.) à *nativitate*, qua alii sunt *naturales*, alii *adoptivi* iis liberis alii *nati* alii *posthumis*, ex quibus *adoptivi* in *arrogatos & adoptatos & rum.* hi rursus in eos, qui ab *aliquo ascendente*, & eos, qui ab *extraneo* subdividuntur. Circa hocce caput quintum & liberorum differentias, quando quarimus, ecquid per novellam mutatum, HOPPIUS alii-que ex communi sententia respondent, mutatum multum esse, sublataque differentias, sicut omnes liberi, sive *sui*, sive *emancipati*, sive *nati*, sive *posthumis* fuerint, post novellam aut heredes instituendi, aut exheredandi sint, hoc effectu, ut si neutrum factum sit, testamentum sit ipso jure nullum, quod ad heredis institutionem, non quod ad alia capita.

At enim vero uti ex præcedentibus constat, nos hunc effectum ne quidem quod ad nova requisita exheredationis, quæ per novellam accesserunt, nedum quod ad vetera, quæ ex veteri jure descendunt, largiri, sic inde facile colligitur, quid nobis ad questionem respondendum esse videatur. Nempe quod, ad *veterem* formam exheredationis neglectam, puta si liberi *nominatim* exheredati non fuerint, differentia inter liberos *suos & emancipatos natos & posthumos, naturales & adoptivos*, etiam post novellam est & manet, hoc effectu, ut etiam post novellam testamentum ex parte *suorum* liberorum ipso jure nullum sit, tam quod ad heredis institutionem, quam quod ad alia capita, ex parte *emancipatorum* infirmetur, data à Pratore bon. possessione contr. tab. ex parte *posthum.* rumpatur, atque adeo ipso jure infirmetur, & quidem totum penitusque ex parte *adoptivorum* vel ad exemplum naturalium nullum sit, aut rumpatur,

patur, vel si ab extraneo adoptati, nec nullum sit, nec infirmetur. At quod ad *novam* formam seu augmentum formæ, vel in genere ad id, quod per novellam ad requisita exheredationis adjectum, puta si liberi non *expressa causa*, vel *non tali ex causa*, quæ in novella *approbata*, exheredati, differentia inter suos & emancipatos, natos vel posthumos, naturales & arrogatos, vel ab ascendente aliquo adoptatos nulla est, sed indistincte omnes liberi testamentum per querelam inofficiosi infirmare atque rescindere possunt, quantum ad heredis institutionem. Ratio *prioris assertionis* est, quod Imperator differentias liberorum in novella nec *expresse*, (cum ne verbum quidem de suis, emancipatis, natis, posthumis habeatur, nedum ut differentia inter eos sublata sit) nec *sacite* sustulit, cum hoc tantum disposuerit, ut in posterum etiam causa exheredationis in testamento exprimi, eademque una esse ex iis, quæ in novella enumeratæ, debeat, de veteris autem juris requisitis (exheredationis) ne verbum quidem dixerit, consequenterque ubi ea non sustulerit, (quod nec ipsi adversarii statuunt) sic & circa effectum eorum, si neglecta fuerint, nihil quidquam constituerit, vel mutaverit, sed contra potius effectum dispositionis suæ, quam in fine c. 3. addit, conceptis verbis, de causis in testamento expressis, vel non expressis, comprehensis in novella vel non comprehensis, determinet, atque ad ea, de quibus ante dixit, quaque in summa repetit, manifeste restringat, ut videre nullo modo possim, quare tam largi in novo & correctorio jure esse debeamus, ubi ut cauti & parci simus, rationi conveniens est. *Posterioris assertionis* ratio est, quod Imperator circa ea, quæ per novellam ad vetera requisita exheredationis adjecit, nullam distinctionem inter liberos fecit, nec causa dari potest, quare talis ab interpretibus adhiberi debeat, conf. *J. V. h. Sect.*

Quæst. XI.  
de præterit.  
patris vel  
ascend.  
paterni.

§. XX. *Sextum* caput summum J. veteris agit de præteritione à patre vel ascendente paterni, postquam hæctenus de exheredatione à patre vel ascendente paterno facta, actum. Nempe J. veteri pater vel avus, aut alius ex ascendentibus paternis liberos præterire non potest, sed ob eam præteritionem testamentum vel nullum

lum est, si liberi nati sui heredes cujuscunque sexus vel gradus, naturales vel adoptivi, præteriti, vel *rumpitur*, si posthumi sui naturales vel adoptivi præteriti, vel *bonorum possessione contra tab. infirmatur*, si emancipati vel alii extranei, nati vel posthumi, naturales non adoptivi, præteriti. Circa hæc ergo, cum quæritur, quid per novellam mutatum sit, respondemus plane penitusque nihil mutatum esse, sed adhuc post novellam ob præteritionem patris vel ascendentis paterni, testamentum, secundum ea, quæ dicta, vel nullum esse, vel rumpi, vel bonor. possessione contra tab. infirmari. Ratio assertionis est, quod per novellam de iis, quæ ad validam remotionem liberorum ab hereditate J. veteri requiruntur, (inter quæ etiam est, ne liberi silentio prætereantur) nihil demtum, sed aliquid amplius additum, ad quod omnis effectus novellæ restringendus, secundum ea, quæ jam §. præc. fasè dicta sunt.

§. XXI. *Septimum* caput summum J. veteris (ex §. ult. Sc&E. *Quest. XII.* I.) tractat de præteritione *matris*, quæ J. veteri loco exheredationis est, sicut mater, si liberos præteriit, eos rite exheredasse intelligatur, hoc effectu, ut liberi nullum remedium, nisi querelæ inofficiosi habeant, si forte iniique, id est, ex causa non justa exheredati fuerint. Circa hocce caput, quando quærimus, quid per novellam mutatum, maxima pars interpretum respondet, præteritionem matris deliisse loco exheredationis esse, matremque æque ac patrem debere liberos expresse exheredare, causamque exheredationis testamento inserere, alioquin testamentum ipsius, quod ad heredis institutionem ipso jure nullum esse futurum. At enim vero, quid nobis ad quæstionem respondendum videatur, facile ex illis, quæ præcedentibus dicta, intelligitur. Nempe cum *exheredatio & præteritio* in novella commode de diversis subjectis, *patris* vel *matris* ascendentiumque paternorum vel maternorum, speciatimque *præteritio de matre* ascendentibusque maternis, *exheredatio* de *patre* ascendentibusque paternis accipi possit, & quia possit, etiam debeat, ob naturam juris novi & correctorii, quod quantum fieri potest, stricte interpretandum: Inde puto illud tantum per novellam constitutum, ut

fi

si pater vel adscendens paternus exheredare, vel mater aut adscendens maternus (loco exheredationis) praterire liberos velit, debeat ille exheredationis, hæc vel hic prateritionis causam testamenti expresse inferere, hoc effectu, ut si id factum non fuerit, liberi ex eo capite possint testamentum querela inofficiosi rescindere.

*Quaest. XIII.  
de praterit.  
adscendent.  
materno-  
rum.*

§. XXII. *Octavum* caput summum J. veteris agit de prateritione adscendentium maternorum, quæ J. veteri æque ac illa, quæ à matre fit, pro exheredatione ritè facta habetur, nisi forte adscendentes materni per adoptionem naturales quoque parentes effecti sint. Circa hocce caput cum quæritur, quid per novellam mutatum, responsio ex illis quæ §. præc. conjunctim de matre adscendentibusque maternis dicta, desumi potest, nec necesse est; ut aliquid amplius dicamus, nisi hoc, quod exceptio, si per adoptionem adscendentes materni civiles quoque parentes effecti sint, etiam post novellam vim habeat, cum per eam uti non adoptionem diversitas, ita nec effectus adoptionis ab ascendente factæ sublatus, qui inter alia in eo consistit, quod liberi adoptivi aut heredes instituendi, aut rite exheredandi sint.

*Quaest. XIV.  
de exheredat. & praterit. conjunctim.*

§. XXIII. *Nonum* caput summum J. veteris complectitur conjunctim *exheredationis* vel *prateritionis* ex parte cum patris vel adscendentium paternorum, tum matris & adscendentium maternorum effectum, ratione nullitatis vel infirmationis testamenti, sic ut in summa demonstratur, testamentum in universum vel *ab initio esse nullum*, si suus heres prateritus; (puta à patre vel adscendente paterno, qui duntaxat suum heredem, non item mater vel adscendens maternus, qua talis, habere potest) vel *ex postfacto infirmari*, idque vel *ipso jure*, agnatione vel quasi posthumi sui prateriti (à patre vel adscendente paterno) vel *officio judicis*, speciatimque vel *Prætoris*, quando dat bonorum possessionem contra tabulas liberis emancipatis vel aliis extraneis, à patre vel adscendente paterno prateritis, vel contra formam J. Prætorio præscriptam exheredatis, vel *aliterius judicis* puta centumvirorum, quando testamentum ob prateritionem matris, vel exheredationem patris rite, sed inique factam instituta que-

querela inofficiosi rescinditur. Circa hocce caput quando querimus quid per novellam mutatum, non est, quod circa responfionem multum laboremus, cum jam ex iis, quæ §. XX. XXI. dicta, constet, si non secundum requisita J. veteris liberi à patre vel adscendente paterno nominatim exheredati fuerint, testamentum etiam post novellam totum nullum esse, vel rumpi penitus, vel bonorum possessione c. t. infirmari, sin autem nominatim exheredati, vel à matre præteriti fuerint, sed ex novo Jure causa exheredationis vel præteritionis in testamento non expressa, aut non una ex illis, quæ in novella enumerata, fuerit, testamentum ex novella per querelam inofficiosi infirmari, non tamen totum penitusque, sed quod ad heredis institutionem tantum.

§. XXIV. *Decimum* caput summum J. veteris de causis justis exheredationis à patre vel adscendente paterno factæ, vel præteritionis à matre vel adscendente materno factæ agit, quas dicit de J. veteri in incerto, ac fere in arbitrio Judicis positas esse, nec opus esse, ut in testamento exprimantur, sed sufficere, si liberi generatim ingrati nominati fuerint. Circa hocce caput quando queritur, quid per novellam mutatum, omnium consensu respondetur, non solum causas per novellam ex incertis factas esse certas, sed etiam eas specificè in testamento exprimi oportere. Quæ verò illæ causæ sint, & quomodo accipiendæ, itemque an ad pares vel majores extendi possint, præsentis instituti non est disquirere.

§. XXV. *Undecimum* caput J. veteris tractat de probatione justæ causæ exheredationis, quam dicit etiam de J. veteri ab hereditibus scriptis fieri oportere, sic ut personæ exheredata vel præterita contra probare causæ falsitatem liceat. Circa hocce caput cum queritur, an quid per novellam mutatum ego quidem respondeo, nihil mutatum esse; sed quod in novella de probatione à scriptis hereditibus suscipienda legatur, veteri juri conforme & ex eo repetitum esse, ne quis causa expressionem in testamento de J. novo sufficere existimet, unde etiam post novellam persona exheredata

G

vel

vel præterita contra probare causâ falsitatem possit. Contra ea, qui statuunt, J. veteri personam exheredatam vel præteritam suscipere probationem, se non fuisse ingrati, debuisse, non possunt non hac parte insigne caput juris novi agnoscere ac profiteri, quo probationis onus in scriptos heredes translatum sit. Qua parte quam sententiam accipias, non multum interest, cum dissentientes effectu nobiscum conveniant; dum concedunt, si causâ exheredationis in testamento expressa à scripto herede probata dari non possit; testamentum non esse ipso jure nullum, sed per querelam in officiosi rescindi, quantum ad heredis institutionem, nec facile quisquam eorum negaverit, personæ exheredata (vel secundum nostram hypothesein à matre vel ascendente materno præterita) post novellam contra probare causâ falsitatem licere.

*Quest. XVII  
de limitat.  
quibus que-  
rela inoffi-  
ciosi cessat.*

§. XXVI. *Duodecimum* caput summum J. veteris continet limitationes, quibus J. veteri querela inofficiosi cessat, puta 1.) quando alio remedio ad hereditatem vel ejus partem venire potest: 2.) Quando personæ exheredatæ vel in institutione præteritæ legatum vel fideicommissum relictum, aut aliquid mortis causa vel inter vivos donatum: 3.) Quando querelæ elapso quinquennio præscriptum: 4.) Quando eidem renunciatum agnitione voluntatis testatoris expressa vel tacita, 5.) Quando querela morte personæ exheredatæ vel præteritæ extincta. Circa hocce caput quinquepartitum quando quæritur, quid per novellam mutatum, respondemus, circa 1.) nihil mutatum esse, sed post novellam quoq; si liberi alio modo ad hereditatem pervenire possint, querelam inofficiosi, etiam quatenus ex novella competit, cessare. Unde v. c. si non solum exheredatio nominatim facta non fuerit, sed etiam causâ exheredationis in testamento expressa non sit, licet testamentum ex novella per querelam inofficiosi rescindi posse videatur, tamen aut nullitatis querela instituenta, aut bonorum possessio contra tab. petenda, quia per hæc remedia liberi ad hereditatem parentum pervenire possunt. Ratio hujus



hujus interpretationis est, quod novella jus novum & correctorium  
 contineat, atque adeo quantum fieri possit, stricte sit interpretan-  
 dum, ut de J. veteri reliquum maneat, quantum commode possit.  
 Jam autem nihil prohibet, quo minus dicamus, Imperatorem in no-  
 vella dum novis quibusdam casibus querelam inofficiosi concesserit,  
 eam sic concessisse, ut J. veteri competierit, nempe in subsidium, si  
 alia ratione liberi ad hereditatem parentum pervenire non possint.  
 At circa 2.) manifesta mutatio est, dum Imperator in novella con-  
 ceptis verbis disposuit, non licere parentibus exheredare vel prate-  
 rire liberos, *nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fidei-  
 commissum, vel alium quemcumque modum eis dederit legibus debitam  
 portionem.* Unde novo J. liberi precise heredes instituendi sunt in  
 legitima, vel ejus parte, alioqui hoc non obstante, quod legatum vel  
 simile quid acceperunt, testamentum vel *nullum est*, si sui heredes,  
 vel *rumpitur*, si posthumi sui, aut *bon. possess. contra tab. enervatur*,  
 si emancipati vel alii extranei à patre vel adscendente paterno prate-  
 riti vel non nominatim exheredati, aut denique *querela inofficiosi*  
 infirmatur, si liberi nominatim exheredati, vel à matre aut adscen-  
 dente materno prateriti, sed aut ex causa in testamento non expressa,  
 aut non ex causa, quæ in novella approbata, aut ex causa, quæ ab-  
 heredibus scriptis probari non potest. At si liberi in legitima, vel  
 sine mentione legitimæ simpliciter heredes instituti sunt, licet tam  
 multis legatis hereditas onerata sit, ut legitimam salvam non ha-  
 beant, tamen testamentum querela inofficiosi etiam post novellam  
 rescindere non possunt, sed ad supplementum legitimæ agere de-  
 bent, actione, quæ suppletoria appellatur. Cujus rei ratio est, quod  
 de hoc casu novella nec expresse loquatur, nec tacite vel per con-  
 sequentiam disponere dici possit. Institui vero liberos heredes acci-  
 piendum, etiam si in certis rebus duntaxat instituantur, qualis gene-  
 ris heredes licet alias pro legatariis habeantur, *l. 15. de her. inst.* ta-  
 men liberos tales esse institutos sufficit, per expressam Imperatoris  
 declarationem, quam suæ sanctioni postea pr. c. 5. adjecit. Porro

circa 3.) nihil mutatum existimamus, quoniam per novellam nihil amplius, quam querelam inofficiosi concedi statuimus, cujus præscriptio quinquennalis, quia expresse taciteve tacta vel mutata non est, in suo statu permansit. At è contrario Dissidentes iis casibus, quibus querelam nullitatis ex novella concedunt, non possunt non quinquennalem præscriptionem rejicere, cum querela nullitatis 30. demum annis præscribatur, eoque ipso inter alia à querela inofficiosi differat. Similiter ex eadem ratione circa 4.) non possumus non asserere, nihil per novellam mutatum esse, quod è contrario dissidentes iisdem casibus, quibus testamentum ex novella ipso jure nullum dicunt, non possunt non negare, quoniam si nullum testamentum est, uno repudiante hereditatem, eadem ad alium in ordine succedendi ab intestato proxime sequentem deseritur. Denique circa 5.) similiter, eademque ex ratione, qua circa 3. & 4. & nos nihil per novellam mutatum asserimus, & contra ea Dissidentes statuunt.

*Quæst.  
XVIII. de  
effectu que-  
relæ inoff.*

§. XXVII. *Ultimum* caput summum J. veteris de effectu querelæ inoffic. testamenti agit, qui de J. veteri tantus est, ut totum testamentum, tam quod ad heredis institutionem, quam quod ad legata, fideicommissa vel alia capitula infirmetur. Circa hocce denique caput quando quærimus, an quid per novellam mutatum, responsio in promptu est, mutatum esse illud, quod testamentum quantum ad legata quoque & fideicommissa, vel alia capita præter heredis institutionem, rescindatur, quod nec ipsi adversarii iis casibus, quibus inofficiosi querelam ex novella concedunt, negant, idemque illud ad nullitatis querelam, quam largiori indulgent manu, applicant. Ratio ejus rei, quod querela inofficiosi in novella mutilata est, in eo consistit, quod Imperator liberos (& vice versa parentes) à testamentorum injuria, id est ab exheredatione vel præteritione in testamentis tutos præstare voluit. Quæ injuria cum per legata, vel alias dispositiones non inseratur, inde eas valere, & solas institutiones rescindi Imperator voluit. Neque vero tunc solum testamentum quod

quod ad institutiones tantum rescinditur, quando querela inofficio-  
si ex novella unice descendit, puta, quando causa exheredationis vel  
preteritionis in testamento non expressa vel talis causa est, quæ J.  
veteri probata, J. novo improbata, vel (secundum eos, qui hoc ca-  
put etiam ad J. novum referunt) ab heredibus scriptis probari non  
potest; sed etiam quando ex ipso jure veteri descendit, puta si ex-  
heredatio vel preteritio vel nulla ex causa, vel ex tali facta, quæ  
non modo in novella non approbata, verum etiam vel J. veteri ex-  
presse rejecta, vel tam levis est, ut nullius æqui Judicis arbitrio pro-  
bari possit. Ratio est, quod Imperator causa exheredationis vel præ-  
teritionis justa sit, an injusta, ad excludendam vel producendam  
querelam inofficiosi valida, unice ex novella æstimari voluit. Unde  
cum querelæ inofficiosi indistincte nullus alius effectus, quam rescis-  
sionis partiariæ, id est; quantum ad institutiones heredum in no-  
vella tributus sit, consequitur, post novellam nullum alium effe-  
ctum, quam illum, querelæ, inofficiosi indistincte esse.

§. XXVIII. Agendum jam etiam esset de exheredatione paren-  
tum, & eo, quid circa illam *in capite 4. Nov. 115.* mutatum, & agere  
omnino animus fuit. Sed cum præter opinionem opusculum excre-  
verit, & tempore quoque in sequenti deficiat ad propositum perse-  
quendum, differendum, quod reliquum laboris est, ad aliud tem-  
pus, & jam huic qualicunque specimini finis imponendus.

S. D. G.

## COROLLARIA.

I.

Quoties quis in testamento, quod nullo visibili vitio laborat, ut  
heres scriptus est, legitimus verò successor ab intestato validita-  
tem testamenti impugnat, toties heredi scripto tamdiu Bonorum  
possessio concedenda, donec adversarius nullitatem objectam in  
judicio separato decenter verificaverit, l. f. C. de edict. D. Hadr.  
Toll.

G 3

II

II.

Quoties Conditio, dies vel simile quid legitimæ à Testore ad-  
jicitur, toties ejusmodi adjecta pro non adjectis habentur. *L. 30. pr.  
C. de inoff. test.*

III.

Quicumque competit jus patriæ potestatis, illi quoque compe-  
tit jus occidendi filiam adulteram in flagranti crimine deprehensam,  
sine metu ullius pœnæ.

IV.

Quæcunque in prima instantia vel non satis probata vel non  
satis deducta sunt, illa adhuc in instantia appellationis ulterius pro-  
bari & deduci possunt. *L. 4. C. de tempor. Appellat.*

V.

Melius est cumulare exceptiones superfluas, quam negligere  
necessarias.

VI.

Quoties contra sententiam super possessorio summarissimo latam  
interponitur ab una vel altera parte appellatio, toties hæc effectum  
devolutivum quidem habet, sed non simul suspensivum *l. un. C. si de  
moment. poss. fuer. appellat.*

VII.

Quoties controversia oritur inter privatum & fiscum, toties  
contra hunc in dubio merito pronunciandum. *L. 10. ff. de jure  
fisci.*

VIII.

Quicquid pater contra pietatis officium disponit, factum esse  
presumitur delinimentis novercalibus.

IX.

Inter novercas & privignos nulla est hereditas.


01 A 6575




R

Vb 17







11  
I. N. D. N. J. C. M a  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE EO,  
QUOD CIRCA MATERIAM  
**EXHEREDATIONIS**  
**ET PRÆTERITIONIS**

Nov. CXV. c. 3. MUTATUM EST.

QUAM

EX AUCTORITATE ET DECRETO  
ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS,  
IN ACADEMIA GIESSENSI  
**PRO DIGNITATE DOCTORALI**

CONSEQUENDA,

PUBLICÆ  
EXCELLENTISS. DNN. PROCERUM  
DISQUISITIONI

AD D. NOV. A. MDCCXXV.

SUBMITTIT

**JOHANNES NICOLAUS**  
**SCHEDELL,**

MOENO · FRANCOFURTENSIS.

GISSAE, Typis Vid. Joh. Reinh. Vulpii, Acad. Typogr.

